ANIMADVERSIONES

IN

MUSEI ANTIQUARII LUGDUNO-BATAVI

INSCRIPTIONES GRAECAS ET LATINAS.

ANIMADVERSIONES

IN

MUSEI ANTIQUARII LUGDUNO-BATAVI

INSCRIPTIONES GRAECAS ET LATINAS,

A

L. J. F. JANSSEN,

PHIL. THEOR. MAG. LITT. HUM. DOCT., MUSEI ANTIQUARII LUGD.-BAT. CONSERVATORE,

EDITAS.

SCRIPSIT

CONRADUS LEEMANS,

PHIL. THEOR. MAG. LITT. HUM. DOCT.,

MUSEI ANTIQUARII LUGDUNO-BATAVI DIRECTOR.

ADDITUR TABULA.

LUGDUNI BATAVORUM,

APUD H. W. HAZENBERG ET SOCIOS.

CIƆIƆCCCXLII.

ANIMADVERSIONES

IN

INSCRIPTIONES GRAECAS ET LATINAS MUSEI ANTIQUARII LUGDUNO-BATAVI.

Ex omni antiquorum monumentorum studio alia pars vix inveniri potest, quae majoris ponderis atque momenti, et insignioris utilitatis laude excellet, quam ea qua inscriptiones continentur. Non igitur miramur, ex quo veterum monumenta tractari coeperunt, titulos praecipue magnam doctorum interpretum cohortem esse nactos, et librorum de hoc argumento scriptorum copiam prodiisse; quod eo facilius factum, quoniam inscriptiones semel lectae aut descriptae literarum typis vulgaribus exprimi satis commode posse videbantur, et vel inscriptionum corpora, quae dicuntur, ita satis modico pretio cuicumque cupienti ad manus erant.

Sed quod saepius fit, ubi rem aliquam ardore prosequuntur homines, ut incautius agant, idem in inscriptionibus colligendis quoque accidit. Incognitas et novas proferendi, aut congestam materiem pluribus additis completiorem reddendi studio abrepti, utrum tituli genuini an falsi essent non satis inquisiverunt; quod damnum, ex priorum negligentia natum, editores posteriores, quibus occasio deërat monumenta ipsa oculis conspiciendi, quique nullam saepe falsitatis suspicionem susceperant, sua diligentia haud ita facile reparare potuerunt. Hinc ortum

ut ingens inscriptionum spuriarum numerus genuinae antiquitatis auctoritate hucusque receptus manserit, et altero Hercule fere opus sit, qui haec Augiae stabula a sordibus purget. Talem laborem, literarum, historiae, archaeologiae studio utilissimum, in se susceperat Olaus Kellermannus, qui anno superiori, irreparabili fere dicam doctrinarum damno, obiit. Interna quae dicuntur argumenta, quibus de tituli veritate judicetur, facilius investigantur; sed externa, quae literarum formas, monumenti conditionem, et similia spectant, aut prorsus perierunt cum ipsis monumentis, aut non nisi pluribus itineribus, magnam pecuniae summam et magnum temporis spatium exigentibus, cognosci possunt. Qualis hac quoque in re Kellermanni laus fuisset, docet O. Jahn in Specimine Epigraphico in memoriam Olai Kellermanni nuper edito.

Alia ratio inscriptiones edendi, eaque posteriori tempore adhibita, est ea qua literarum typis diversis, ad exempla antiquarum literarum formarum factis, ipsa archetypa quantum id fieri potest, accurate exhibentur. Rectius ita de tituli aetate judicium ferri potest, sed generaliores tantum formarum mutationes exprimuntur; singulas vero et innumeras diversitates leviores ea ratione exhiberi commode non posse, facile intelligitur. Praestat itaque tertia ratio, qua ipsius inscriptionis tamquam imago ante oculos ponitur, additis in descriptionis textu, quae ex sola tabula cognosci nequeunt, quaeque tamen ad probe dijudicandum monumentum necessario requiruntur: veluti de materie, ex qua monumentum factum est, de ejus conditione externa, de loco ubi inventum vel unde advectum fuit, cett. Tali modo qui Inscriptionum corpus edere velit, timeo ut emtores satis divites inveniat; sed qui pauciores secundum archetypa accurate expressas exhibet, ita ut inscriptionum collectarum editor ejus libro tamquam fonte uti possit, certo bene de studiis meruisse censendus est. Magna eo in genere laus τῇ Ἐπιτροπῇ Ἀρχαιολογικῇ Athenis, quae, cura in primis Pittakisii et Rangabei, VV. CC., inde ab anno 1837 omnium inscriptionum posteriori tempore inventarum delineationes edendas curavit, ad palaeographiae leges exactas.

Quae hoc autumno prodierunt Musei Antiquarii Lugduni Batavi inscriptiones Graecae et Latinae, ut Academiae Lugduno-Batavae Curatorum, VV. Amplissimorum, benevolum in literas animum ostendunt, ita et editoris, viri doctissimi diligentiam et industriam testantur, et nostra certo laude non egent.

Neque tamen quis exspectaverit opus illud a communi rerum humanarum fato exemtum esse, atque ita ab omni parte perfectum et omnibus numeris absolutum, ut nihil corrigendum restet, nullaeque inscriptionum difficillimarum et intricatissimarum lineolae, uti et priorum editorum, sic et posterioris editoris oculorum aciem effugerint. Quae omnia eo magis, nulla mora interposita, indicanda sunt, quoniam universum opus et tabulae in primis, magnam auctoritatem jure meritoque sibi vindicare possunt. Quum vero ipsorum monumentorum inspectio nemini facilius sit quam nobis, quotidie fere inter ea versantibus, subsecivis horis tabularum cum archetypis comparationem instituendam putavimus, eamque si tanti esse pateret, cum viris doctis communicandam, additis paucis de ipso operis textu annotationibus. Quae fortasse in Ephemeride aliqua edi potuissent, nisi operis Latine scripti additamenta quoque eadem lingua conscribenda putassemus, atque ita edenda, ut cum ipso opere quisquis ea sibi facile comparare posset.

Ordinem secuti sumus eundem quem observavit Inscriptionum editor. Antequam tamen ad singula transimus, quaedam monenda sunt de subsidiis ineditis, quae, in Museo antiquario servata, editori ad manus fuerunt, quaeque eo minus sunt reticenda, quoniam cum multis aliis, incredibilem probant Reuvensii, viri desideratissimi, industriam et doctrinae copiam, et a nobis in Epistola, quam de ipsius vita scripsimus anno 1838, Catalogo ejus bibliothecae praemissa, disertis verbis non fuerant memorata. Levius autem quam par erat, ab Inscriptionum editore indicantur tantummodo in Compendiorum scribendi indice Reuvensii annotationes manuscriptae, nihil addito de harum natura vel copia. Quin et saepissime in ipso libri textu literam R, qua Reuvensii annotationes manuscriptas indicat editor, desideramus, ubi omnino addenda fuerat, Reuvensii certe nominis mentio injicienda, ut quae hic jam bene scripsisset aut docuisset, ipsi quoque vindicata apud unumquemque manerent.

Horum subsidiorum alterum continetur exemplari Fr. Oudendorpii orationis, ejusdem Brevis Legati Papenbroekiani descriptionis, et Te Wateri Auctarii Legati Papenbroekiani, omnium in unum volumen compactorum, ditissimis, uberrimisque Reuvensii annotationibus MStis instructum, quae partim accuratiorem inscriptionum lectionem et monumentorum descriptionem sistunt, partim quoque verbis et rebus illustrandis inserviunt. Praemissa sunt plurima de monumento-

rum Legati PAPENBROEKIANI origine et fatis; additur denique index uberrimus nominum propriorum, quae in inscriptionibus memorantur.

Alterum subsidium est Specimen Catalogi Musei Antiquarii, quod REUVENSIUS, anno 1824 ineunte, usque ad pg. 86, forma maxima, dictando perduxerat, additis postea annotationibus et correctionibus nonnullis. Quominus autem opus absolveret, quod selectos aliquos discipulos exercendi causa inchoaverat, impediverunt tum occupationum aliarum multitudo, tum et insignia Musei incrementa, Etruscorum praecipue et Aegyptiorum monumentorum, quae vel collocari justa ratione non potuerant, neque igitur certo ordine disponi, aut accurate oculis conspici et describi.

Quae usque ad annum, quem nominavimus, 1824 in Museo servata erant monumenta, in sex classes distribuerat REUVENSIUS. Harum I^{ma} continebat monumenta Orientalia, Aegyptia, quae tunc paucissima aderant, et Javana; ad II^{am} et III^{iam} artis Graecae et Romanae monumenta relata erant, ita ut illa ectypa gypsea antiquissimorum et optimae artis operum Graecorum contineret, haec vero statuas, capita et opera anaglyphica Graeca et Romana; IV^{ta} et V^{ta} classis monumenta sepulcralia Graeca et Romana comprehendebant; VI^{ta} denique classis inscriptiones Orientales, Graecas et Romanas, quae olim aedificiis, aliisve monumentis additae fuerant, sed jam ipsae per se tantummodo spectari poterant. In secunda quoque classe, quoniam alibi locus satis idoneus inveniri non potuerat, artis opera minora, sigilia aenea et figulina, vasa aliaque supellex collocata erant.

In catalogo scribendo eumdem ordinem observaverat REUVENSIUS, sed quoniam, ut diximus, ad finem perducere opus non potuerat, classis sexta tota deëst; eas igitur tantum inscriptiones attigit, quae, sive in suppellectile, sive in monumentis sepulcralibus leguntur. In his omnibus autem hoc egit ut primum monumentum accurate describeret, inscriptionem integram transcriberet aut verteret, saepe quoque de aetate judicium ferret, originem monumenti indicaret, et similia monumenta quae alibi servabantur, scriptores denique citaret, qui monumentum ipsum aut ejus inscriptionem ediderant, in quibus OUDENDORPII Descriptio et MAFFEI Museum Veronense praecipuum locum obtinent. Ea autem hac in re cernitur REUVENSII cura, ut scriptorum quae ad illud usque tempus prodierant, nullum facile locum ab Inscriptionum editore citatum invenias, quem non eun-

dem REUVENSIUS, sive in alterutro horum operum, sive in utroque MSto, jam indicaverat. Quae a REUVENSIO in Specimine illo Catalogi illustrantur, sunt:

E Graecis; Inscrr. Tab. IV. 3; V. 2, 4, 6, 7, 8, 9, 10; VI. 1, 2, 4, 5, 6, 7, 8, 9; VII. 2, 3, 4, 5, 6, 9, 10, 14;

E Latinis: Tab. XV. 1, 2, 3, 4, 5; XVI. 1, 2, 3, 4, 5, 6; XVII. 1, 2, 3, 4, 5, 6; XVIII. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7; XIX. 1, 2, 4; XX. 1, 2, 3, 4, 5, 6; XXI. 2, 3; XXII. 4; XXIV. 1, 2, 4, 6; XXV. 2, 3, 4.

Tertium subsidium constituunt apographa quae ipse manu sua REUVENSIUS fecerat, partim suppleverat et commentariis, postea iterum relegendis et corrigendis, instruxerat. Spectant apographa illa contractum Aexonensium, Inscr. Tab. I, et catalogum pecuniae solutae, Tab. II.

Quartum denique subsidium, minoris quidem ponderis atque momenti quam tria priora, haud tamen contemnendum, ipse affert monumentorum index, prout monumenta Museo accesserant conscriptus, et hic illic REUVENSII annotationibus subitaneis auctus.

His praemissis ad ipsam Inscriptionum editionem revertamur. In dedicatione, quae libri titulum proxime sequitur, quaeque ipsa ad normam inscriptionis exacta videtur, leges epigraphicae non prorsus observatae sunt. Signa enim diacritica a veteribus in fine versuum non addi, sed tantum inter singulas voces poni solent, ut hae a se invicem distinguantur; quali distinctione, ut res ipsa loquitur, in fine versus non opus est. Levior est observatio, sed ea in libro palaeographiam spectante, haud omittenda.

In praefatione, pg. 7 ineunte, agitur de inscriptionibus Graecis et Latinis monumentorum Aegyptiorum et Phoeniciorum. Haec potius Punica vocaverim, quoniam a viris harum rerum peritis lingua Carthaginiensium et Phoenicum, et utriusque populi literarum formae haud prorsus eaedem habentur. Sed quod praecipue est monendum in usum eorum qui ipsi Museum adire non possunt, spectat locum unde monumenta illa translata sunt. Quae ad hanc classem referuntur fere omnia, HUMBERTII cura, in ditione *Tunetensi*, pleraque in ipso Carthaginis solo sunt reperta, nullum vero eorum in » veteris Phoeniciae urbium

„ruinis" effossum; quaedam postea a Consule Neerlandico mercatorum res curante in urbe Tunetensi, coëmta. Caeterum quod ad inscriptiones Latinas monumentorum Punicorum attinet, earum delineationem edidimus, postquam praefatio Inscriptionum jam typis mandata fuerat. Omnia autem hujus classis monumenta tempore opportuno edere nobis proposuimus.

Inscriptiones in tabulis ad palaeographiae leges exaratae, in annotatione literis minusculis sunt repetitae, literae quae prorsus perierant duobus punctis indicatae, et vocum decurtatarum notarumque explicationes uncis rotundis, literae mutilae vel exesae quadratis inclusae (vid. Praef. pgg. 7, 8). Accentus praeterea sunt additi et periodi signis diacriticis inter se distinctae, quod in ipsis inscriptionibus non fieri satis notum quum sit, nihil dubii creët. Sed alia res est, ubi ipsa vocum orthographia, qualis in lapidibus legitur, in textu repetito mutatur; quando v. c. pro EI diphthongo scribitur η; cujusmodi mutationes quum certo signo non indicentur, lectores facile inducere possunt, ut eandem scribendi rationem in ipso lapide observari putent, certe dubium relinquunt, utrum pro η in lapide EI, H, an HI legatur. Ita vb. c. in contractu Aexonensium prius obtinet, alterum in inscriptione sepulcrali Aurelii Dionysodori, Tab. VI. n. 1, tertium in alio titulo sepulcrali, Tab. VII. n. 3. Meliorem itaque rationem putamus, qua accurate inscriptiones, omnibus vitiis et quadratarii erroribus servatis, repetuntur, addita secunda recensione, quae tituli textum ad communem scribendi modum redactum et ab erroribus purgatum, intellectu faciliorem exhibeat.

Melius porro lectorum commodis consuluisset editor, si inscriptiones omnes continuis numeris indicasset, quum idem numerus jam saepius rediens, nisi simul tabulae numerus addatur, in citando confusionem creare possit.

INSCRIPTIONES GRAECAE.

INSCRIPTIONES EX MONUMENTIS POLITICIS.

TAB. I.

Contractus Aexonensium, pgg. 13—16.

Apographum insignis hujus inscriptionis Boeckhio miserat Reuvensius, annotationibus instructum, ea conditione tamen, ut quum ipse titulum edendi consilium cepisset, Boeckhius in suum tantum usum apographum servaret. Hic vero anno 1825, quo primus Corporis inscriptionum fasciculus publici juris factus est, ratus, ut videtur, Reuvensium consilium mutasse, inscriptionem edidit. Iteratam autem lapidis inspectionem errores etiam num nonnullos corrigendi occasionem praebuisse ex novissima editione apparet; in inscriptionis recensionem et junctam ei annotationem pauca tantum habemus animadvertenda.

Vs. 8. Litera ῶ in priori versus parte uncis non includenda fuerat, sed eadem paullo ulterius, in voce τῶν, post ὡραίων, in archetypo, parte inferiori mutila est.

Vs. 35. Litera υ in secunda voce τοῦ uncis non fuerat includenda, quoniam in lapide additur; eadem vero litera in 3ª voce ut et in 8ª et 9ª, uncis rotundis includenda, non quadratis, quoniam in archetypo iisdem locis numquam addita fuit; quod idem observandum de υ in 3ª voce vs. 40, ἀργυρίου, et in 4ª voce vs. 43, ἀρότου.

Vs. 45, vox ultima in lapide γενωνται scribitur, non γίγνωνται.

Vs. 46 vox 7 in lapide scribitur vitiose ΝΙΡΕΘΗΣΑΝ pro ΗΙΡΕΘΗΣΑΝ; correcta igitur lectio uncis includi, aut certe error quadratarii in annotatione indicari debuerat.

Ceterum mirum, ab interpungendi ratione Boeckhiana discessisse editorem, praeter minimum distinctionis signum, non nisi semel, in vs. 31, alio majori usum.

In annotatione praeterea Boeckhii observatio utiliter addi potuerat, de voce φυτεύοντα versu 5 pro φυτεύοντας, verbo ἔχειν subaudito, posita.

Quod ad ipsam tabulam attinet, in vs. 5, post 5[am] literam, lineis umbraticis indicandum fuerat, lapidem ibi esse exesum; idem dicendum de 27[a] litera ejusdem versus, Λ; ultima ejusdem vs. litera Δ, uti et eadem litera, 2[da], vs. 22, nimia literae A similitudine in apographo sunt delineatae, lineola transversa nimis ad apicem literae adscendente.

Paulio accuratius de ea inscriptione egimus, praecipue ut inde pateret, verum esse quod supra diximus, inscriptionis textum repetendi rationem quam secutus est editor, suis laborare difficultatibus, etsi aliorum eorumqne clarissimorum, inscriptiones qui ediderunt, virorum exemplo non careat.

TAB. II.

Catalogus pecuniae solutae, pgg. 16—20.

Pg. 17, Inscr. vs. 19, pro *Θεοτιμίδης* legendum, ut in ipso lapide, *Θευτιμίδης*; nam in caeteris quoque nominibus Ionica scribendi ratio servata est.

Pg. 18, Inscr. vs. 41, vox 4[ta] aut, ut in lapide, *Νίκιος* scribenda fuerat, aut *υ* in *Νικίου* uncis includendum.

In annotationis initio sermo est de domo Santhorstiana prope *Harlemum* sita; sed domus ea in viciniis pagi Wassenaar, ad viam quae Leydâ Hagam Comitum ducit, sita fuit, ibique lapis in ruderibns inventus.

Pg. 19 fine, dnbitamus an sigium, qnod Corsinus certo minus recte *πενταχόσια* interpretatur, compendium sit vocum *Πεντε Στατῆρας*. Cur enim nummi nomen huic uumero soli bis junctum fuisset, non item et reliquis numerorum notis, Δ et ΠΔ (ita enim accipiendum siglum saepius, in 2[da] inscriptionis vs. prima vice, obvium). Iu vss. 35, 37 et 38 literae ΣΣ et ΣΣΣ usurpantur ad duos, tresve stateres indicandum, ut recte animadvertit editor, sed est iste scribendi usns quo ipsa prima nummi nominis iitera ad unitatem exprimendam adhibetur. Siglum quo *quinque talenta* indicantur (idem Π cnm parvulo τ secundae lineolae rectae annexo) non credo inveniri, ubi vox ipsa *τάλαντα* numero praemittitur; hujus igitur sigli exempium ad alterius explicationem probandam adlegari recte non potest. Conjecerat Reuvensius in annotatione ad apographum lapidis, non Σ esse sed ε, eamque literam notam esse τοῦ *'Εκατόν*, nt olim H, pro *Hεκατόν*, ita nt

siglo illo composito numerus 500 significaretur. Assentiendum vero editori *Πέντε* legenti, sed siglo secundam illius vocis literam, *ε*, inscriptam esse cum Reuvensio putamus; quod propterea quoque necessarium erat, ne, nulla litera inserta, postea ab alio siglum addi posset, quo pecuniae summa soluta falso augeretur. Ipsa tabula accuratissimam inscriptionis delineationem exhibere nobis visa est.

TAB. III.

Inscr. 1. *Psephisma Deliorum*, pgg. 20, 21.

Monumentum hoc non Athenis sed in insula Delo inventum, et Psephisma Atheniensium, quod ex ea insula a Rottiersio huo transmissum esse indicat Musei monumentorum index, revera Athenis repertum, duorum vero istorum monumentorum notas errore permutatas fuisse, primus conjecerat Clarisse, vir doctissimus, Gymnasii Nassavico-Velaviensis, quod Harderovici est, rector.

Quod ad textum restitutum, pg. 20, dubium videtur, utrum in initio versuum 6, 9, 10 et 11, literae quae restituuntur, totum spatium implere possint.

Vs. 7 ineunte, *ι* in voce *καὶ* uncis quadratis fuerat includendum, quoniam in lapide non legitur; et vs. 10mo uncus quadratus post vocem *Δ[ήλου*, ad finem ejusdem versus est transferendus.

In ipso inscriptionis apographo linea transversa prioris *τ* in nomine ΣΩΣΤΡΑΤΟΥ nimis versus literam sequentem est producta, in lapide exarata est ut in tab. nostra n. 1.

Vs. 5to nimium spatium est relictum inter 12am literam, Γ et sequentem Α.

Vs. 6to omissum est Ι in particula ΚΑΙ.

INSCRIPTIONES EX MONUMENTIS SACRIS DESUMTAE.

TAB. IV.

INSCR. 2 pgg. 22, 23.

Ad pg. 23, vs. 13. Nominis *Βενδίδωρα*, ex lapide votivo Athenis reperto citati, prior pars recte a Thracico Dianae cognomine, *Bendide*, derivatur, posterior vero compositi pars quomodo ad Phoeniciae urbem Doram referri possit non video, neque ejusmodi nominis proprii compositionis exempium inveniatur. Meliora docere potuissent nomina *Διονυσόδωρος* et *'Αρτεμίδωρα*, ex inscriptionibus sepulcralibus Tab. VI. nn. 1 et 2; posterius praecipue, quod eandem significationem habet atque *Βενδίδωρα*, id est *donum Artemidis* vel *donum Bendidis*. In notissima inscriptione Graeca et Phoenicia, itidem Athenis reperta, *'Αρτεμίδωρος* vertitur עבדתנת, *Abd-Tanat*, proprie *Servus* deae *Tanat; Tanat* autem Phoeniciorum eadem est quae *Artemis Ephesia*, dea Naturae.

INSCR. 3. pgg. 23—25.

Pg. 23. In vs. 3° inscriptionis textus, secundum rationem quam editor adoptavit, pro *'Αδρίανος* scribendum fuisset *'Αδριανό(ν)*; omissum praeterea et hic et in ipsa tabula punctum diacriticum, quod in lapide post vocem ΑΔΡΙΑΝΟΣ est exaratum; quodque ipsum argumentis accedit, quibus inscriptionem spuriam esse probetur.

Pg. 24 ineunte. Reliquis, ex REUVENSII MSto petitis, addenda fuisset ex eodem MSto inscriptio tertii nummi ANTINOI: ΑΔΡΙΑΝΟΣ ΩΚΟΔΟΜΗΣΕΝ, quem citavit REUVENSIUS ex RASCHII opere in v. ANTINOUS n. 3, II. 2. pg. 543, et VI. pg. 1492. Non enim REUVENSIUS ad exempium alterius utrius suspectorum ANTINOI nummorum inscriptionem effictam, sed ex duorum inscriptionibus compositam putavit, ita ut prior pars ΑΝΤΙΝΟΟΣ ΜΑΡ||ΚΕΛΛΟΣ ΟΡΕΥΣ ΤΟΥ ex altero nummo, petita fuerit, posteriori vero, ΑΔΡΙΑΝΟΣ ΩΚΟΔΟΜΗΣΕΝ, tertius nummus occasionem praebuerit. Quae omnia, praecipue si cogitemus, in tam parva inscriptione literarum confusionem, vetustiorum formarum imitationem, et tot quadratarii errores ferri non posse, inscriptionem manifeste falsam esse probant. Accedit quod ipsa lapidis superficies novitatis speciem prae se fert.

Inscr. 5.

Pgg. 25, 26. Praeter rationes quas editor adtulit, ipsum quoque urbis Aegyptiacae nomen, quale hic legitur, suspicionem falsitatis augere potest; ita quidem, ut si reliqua quae citantur monumenta, simili inscriptione instructa, eodem modo hujus urbis mentionem faciant, omnia spuria habenda videantur. *Nilopolin* indicari Bartolus censuerat ut putat Placentinius; sed urbs ea numquam *πόλεως Νιλώου*, verum *Νείλου πόλεως* vel *Νειλοπόλεως* nomine innotuit.

TAB. V. n. 1.

Pg. 27. In inscriptionis recensione, vs. 2°, *ι* in *εὐεργεσίας* uncis includendum fuerat, aut inter erratores quadratarii memorandum, in lapide ΕΥΕΡΓΗΣΙΑΣ scriptum esse.

De artifice, qui in inscriptione memoratur haec annotavit Reuvensius: Agasias »ejusdem fortasse aetatis atque ille qui fecit eximiam statuam *Gladiatoris* Bor»ghesiani, vd. C. Fea ad Winkelm. Hist. art. VI. 6. 52. T. II. p. 433." Ad ea quae Te Waterus de Aristandro dixit, citans Plinium et Pausaniam Lib. III. p. 296, haec adscripsit Reuvensius: »P. III. 255 ed. Kuhn, sed nusquam invenio Aristan»drum a Plinio memoratum. Caeterum hic Aristander Parius Pausaniae non »potest esse idem ac noster Aristander Scopae f. Parius. Hic enim vixit tempore »Romanorum; ille vero videtur tempore victoriae ad Aegos Potamos vixisse. »Sic enim recte Pausaniam intelligi puto cum Heynio, Ant. Aufs. I. p. 84, et »Beck, Archaeol. p. 82 b; quo modo hac occasione cognoscimus duos quoque »Agasias Ephesios, hunc nostrum Menophili f. et alterum *Gladiatoris* auctorem, »Dosithei f."

In ipsa tabula, in 2ª litera A, vs. 1° inscriptionis, lineis umbraticis indicandum fuerat lapidem ibi esse exesum.

INSCRIPTIONES EX MONUMENTIS SEPULCRALIBUS.

TAB. V.

Inscr. 2. pg. 28.

In descriptione monumenti omissus canis qui pone puerum cernitur. Caeterum totum anaglyphum ob pessimum laborem suspectum Reuvensio videbatur. Suspicionem quoque movere possunt inusitatum pueri capitis ornamentum, et in inscriptione forma literae Ξ, quae in monumento talis est qualem in tab. nostra n. 2 exhibemus.

Insca. 3. pg. 28.

Accurata lapidis inspectio nos docuit primum versum inscriptionis legendum esse: ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣΜΕΝΞΕΝ:, *'Αλέξανδρος μὲν ξένε*, Alexander *quidem o hospes, est nomen* (*meum*). Vox *μου*, priori loco in versu sequenti posita, omittenda fuerat, quoniam in lapide non iegitur.

In ipsa tabula finis vs. 1 corrigatur velnti in tabula nostra n. 3 delineavimns; in fine 4^{u} vs. lapis I, non literae Ϲ partem servavit; correctam delineationem exhibemus tab. nostra n. 4; Ϲ, ultima versus litera, periit.

Patet ex priori correctione, promiscuum formarum Ϲ et Σ usum in hoc lapide non observari, illam vero literam constanter et in fine et in initio vocum usurpari; litera Ξ minus recte lecta editorem in errorem duxerat.

Inscr. 4. pg. 29.

Primum versum, qui in lapide perierat, jam eodem modo restituendum censuerat Te Waterus, approbante Reuvensio in Specimine Catalogi MSto.

In inscriptionis delineatione quae restant duarum priorum literarum ΥΙ, inverso ordine exarata sunt, comp. tab. nostrae n. 5; primam versus 3^{u} literam et posteriores ejusdem versus literas, ut et primam versus sequentis, in tabula nostra, nn. 6, 7, 8, ad archetypum correximus.

Inscr. 5. pgg. 29, 30.

In marmore quatuor posteriores literae vs. 1' exaratae sunt, prouti in tabula nostra n. 9 eas delineavimus; de litera Ω nullum est dubium, quapropter observatio pg. 30, de sculptoris errore *o* pro *ω* exarantis, melius omissa fuerit; alium vero errorem commiserat sculptor, in fine nominis I omisso; qua propter trans ultimam literam, A, postea syllabum IA addidit; cujus correctionis lapis certissima vestigia servavit.

Inscr. 7. pgg. 30, 31.

In repetito inscriptionis textu verborum ordo est immutatus, in lapide enim ita legitur:

Ἀπολλώνιος νείκας μή
Ζωσίμη χάριν μνήμης
ἰδία γυνή

Oudendorpius, ut docet Reuvensius in annotatione MSta ad hunc locum, postea melius vertit: Apollonius 48^{ies} *victor;* eandem explicationem suam quoque fecit Reuvensius, qui melius quam reliqui, retiarium in lapide agnovit, eademque ex Antiquitatibus Herculanensibus, Caylusii opere et Museo Veronensi loca citavit, quae ab Inscriptionum editore sunt allata. Caeterum *νείκας* scribitur pro *νίκας*, quod errore pro *νικήσας* videtur positum.

In ipso monumento ΛΛ in nomino Apollonii formam habent quam in tab. nostra n. 10 exhibemus, quaeque ad cursivam scribendi rationem propius accedunt: M in fine ejusdem lineae formam habet, in tab. nostra n. 11 delineatam.

Inscr. 8. pgg. 31, 32.

Cippum, de quo agitur, male ex duorum diversorum lapidum sepulcralium partibus esse compositum, pluribus jam docuerat Reuvensius in annotatione MSta ad Legati Papenbroekiani Descript. Monumentum ea in conditione permansit, donec monumentorum sepulcralium dispositione initio hujus anni immutata, cipporum fragmenta disjuncta sunt. In priori, quod cippi superiorem partem efficit, tres coronae sculptae sunt, quarum non duae tantum, sed unaquaeque vocem *ὁ δῆμος* inclu-

dunt; quum autem duo tantum defuncti, Apollonius et Lysis, in inscriptione memorentur, statuendum tertium in alia inscriptione, fortasse in inferiori cippi parte, nunc perdita, nominatum, et ad hunc tertiam coronam referendam fuisse, ipsius nomine majus spatium exigente, quam quod sub ea corona relictum erat; aut, quae est conjectura Reuvensii, artifices solitos fuisse plures ejusmodi cippos sculpere eosque venales proponere; hunc autem nostrum tribus defunctis proprie destinatum, duobus tantum inserviisse.

Secundum et tertium *'Ο δῆμος*, in inscriptionis delineatione omissa, exhibemus in tabula nostra, nn. 12 et 13.

Inscr. 9. pg. 32.

Monumentum Archestratae Rottiersius emit a Gropio, Mercatorum Consule Austriaco Athenis. Monumentum quod ex Nuncio Archaeologico, Ephemeridi Literariae juncto, ab editore citatur, non est fragmentum marmoris sepulcralis, quantum certe ex adversariis meis video, sed stela permagna cum aetomate, cujus anaglyphum magnam cum nostro monumento similitudinem habere videtur. A dextra sedet Archestrate, ejus gremio adstat puer avem manu tenens, ante eam famula cum cista, ex qua Archestrate dextra pannum aut ornamentum aliquod sumere videtur. Inscriptio vero non in aetomate sed in inferiori parte stelae legitur:

'Ενθάδε τὴν ἀγαθὴν καὶ σώφρονα γαῖ' ἐκάλυψεν
'Αρχεστράτην ἀνδρὶ ποθεινοτάτην·

Inscr. 10. pg. 33.

Quod ipsius monumenti descriptionem spectat, Reuvensius jam idem monuerat de pariete, ab utraque capitis viri in lecto cubantis parte, foramine instructo, ut corona inseri posset; idem columnas quae pone cubantis lectum conspiciuntur melius parastatas vocaverat.

Utrum porro in priori tabula in pariete, inter parastatas illas clypeus rotundus cum duabus hastis decussatis, ut Oudendorpium correxit Reuvensius, an clypeus tantum cum gladio cernantur, nobis non constat. Sed in enumerandis tabulis erravit editor; in penultima enim supra cubantis caput, non in ultima, equi fre-

nati protome cernitur; in secunda, tertia et ultima tres mulierum protomae, quas parcas potius, quam mulieres pilis ludentes ant defuncti servas vocaverim. Parcas aut Musas agnovit Raoul-Rochette in Mémoires de l'Acad. R. des Inscriptions et Belles lettres, T. XIII. pg. 607, note 2.

Decem qui lecto adstant viri et mulieres argumento sunt, in inscriptione diversa nomina propria memorata fuisse eorum qui Cydrogeni defuncto monumentum posuerunt. Horum tamen nominum nnnm tantum superest integrum, alterius, fortasse, *Καλλοφάνης* aut *'Απολλοφάνης* ut conjecit Reuvensius, extrema tantummodo pars servata est. *Κυδρογενεύς* dialecto Dorica dicitur pro *Κυδρογενής*, ut vb. c. *Δαρεύς* pro *Δαρής*, cf. Maittaire pg. 183, estque ille verus casus rectns nominis defuncti, qui profecto ΚΥΔΡΟΓΕΝΙΣ appellari numquam potuit. Posuerunt itaque monumentum .... phanes, Cydrogenes, et .... Cydrogeni *heroï*, id est, ut recte interpretatur editor, *defuncto*. Cydrogenes qni in priori versu memoratur, fortasse defuncti filius fuit. Alteram interpretationem, qua secundum eandem dialectum Doricam *Κυδρογένευς* pro *Κυδρογένεος* positum sit, atque ita nomine proxime antecedente Cydrogenis filius indicetur, hic minus probandam putamus. Ipsi autem nomini defuncti *clarae vel illustris originis* significationem inesse quisque facile intelliget.

TAB. VI.

Inscr. 1. pg. 34.

Reuvensius, aliquando inscriptionem falsam esse suspicatus, non tantum postea sententiam mutasse videtur, sed certissime mutavit, ut patet ex Specimine Catalogi MSto, ubi, ut et in annotatione in margine Te Wateri Auctarii, similes ex Clarkii Travels, citavit inscriptiones duas, in *Troade* repertas, easdem quae ab editore indicantur. Caeterum annotatio ad duos posteriores inscriptionis versus, iisdem fere verbis, si citationem ex Franzii opere excipias, legitur apud Te Waterum l. c.

In delineatione inscriptionis, versu 4° omissum est punctum diacriticum, quo Μ ab ΑΥΡΗΛΙΩ separatur; in fine ejusdem versus post Ι superest inferior pars literae Α, unde patet editorem minus accurate in textu repetito legisse *Καὶ 'Αυρη-*

λίῳ Διονυσοδώρῳ. Sarcophagum faciendum curaverat AURELIUS DIONYSODORUS sibi et uxori AURELIAE EUËMERIAE; filiis duobus, M. AURELIO PRIMO et M. AURELIO HERMIAE, et filiabus duabus, AURELIAE DIONYSODORAE et AURELIAE EUËMERIAE, quarum igitur haec matris illa patris nomine appellata fuit. Ita quoque acceperunt TE WATERUS et REUVENSIUS.

INSCR. 2. pgg. 34, 35.

REUVENSIUS in Specimine Catalog. jam annotavit, in superiori protomarum serie AURELII patris, filiae, uxoris, et alterius filiae capita conspici, in secunda serie AURELIUM patrem iterum exhiberi, filiam, et CLAUDIAM ARTEMIDORAM, servam domi natam.

In inscriptionis delineatione litera ω in fine primi et iterum in principio sequentis versus, major quam in ipso lapide est exhibita; vid. tabula nostra nn. 14 et 15; Α quoque illud in lapide sibi proprium habet, ut sinistrum crus curvetur aliquantulum, et supra alterum emineat, vid. tab. nostra n. 16, quod praecipue locum habet in 2° inscriptionis versu. Utriusque autem literae forma ut et literae μ et ε ad cursivam quae dicitur scribendi rationem accedunt.

INSCR. 3. pgg. 35, 36.

In textu repetito melius, veluti in ipso lapide, scriptum fuisset

'Ατέλλια Χαρί-
τι ον

duobus versibus. In annotatione vs. 6, bubulci caput mutandum in bovinum aut bovis caput. In delineatione denique inscriptionis observandum: literas priorum duorum versuum dimidio fere majores delineandas fuisse, quam quae secundam inscriptionem in media ara constituunt; in secunda hac inscriptione 1^{mi} versus penultima litera, duo ΛΛ in 2° et ultimum Σ in 3° versu formam habent quam in tabula nostra nn. 17, 18 et 19 exhibemus; in tertia inscriptione, in basi arae, litera C, secunda vice in 1° versu obvia, literae G fere formam habet, vid. tab. nostra n. 20; post CN denique punctum diacriticum est omissum.

INSCR. 4. pg. 37.

Juvenis in anaglypho non vasculum effundit, sed, ut REUVENSIUS quoque vidit, aviculam dextra tenet.

INSCR. 5. pg. 37.

In tabula prima inscriptionis litera minus recte est delineata, in lapide exaratur qualem in tabula nostra n. 20 exhibemus.

INSCR. 6. pgg. 37 et 38.

Puer uvam dextra protendens, plures uvas aliosve fructus in sinu gestat. Servus vero non dextra, sed sinistra uvam tenet. Coronae supra capita DIONYSII et DIODOTAE, sculptae sunt in Zophoro. Prius A in 3° inscriptionis versu, in lapide formam habet Tab. nostrae n. 22; penultimum O exaratum est, quasi Ω sculpere voluisset sculptor; vid. Tab. nostra n. 23.

INSCR. 7. pg. 38.

Duas literas in fastigio stelae *Χαῖρε* esse supplendas, conjecerat REUVENSIUS in Specimine Catal. MSto. Ante ΕΙΣΙΑΣ in 3° versu nihil deësse, idem annotaverat quoque ad Legati Papenbr. Descript., addens nomen illud pro ΙΣΙΑΣ scribi. Eandem diphthongum pro I longo usurpatam vidimus supra, in APOLLONII inscriptione sepulcrali, Tab. V. Inscr. 7.

In anaglyphi descriptione addendum, praeter ea quae memorat editor, in scrinio, pone sedentem mulierem, cerni quoque cistam.

In lapide prima Isiae nominis litera exarata est ut in tab. nostra n. 24 exhibuimus. Sculptor male Σ pro E inciderat, quod deinceps corrigere quodammodo conatus est.

INSCR. 8. pg. 39.

Anaglyphum explicans in errorem ductus est editor, quoniam DIOGENIS nomine, in secunda inscriptione, mulierem indicari putavit; est autem viri nomen, *Διογένης*, ut REUVENSIUS quoque accepit in Specimine Catalogi MSto, et probatur viri imagine, qui cum sorore et altera femina velata, sedente (hanc matrem esse conjicit

Reuvensius l. c.) in eodem monumento exhibitus est. Diogenis autem nomen sub viri, Quartae vero sub mulieris imagine sculptum est.

Quod ad inscriptionis delineationem, monendum, literas X in utraque voce *Χαῖρε* formam habere nn. 25 *a* et 25 *b* Tabulae nostrae exhibitam.

Inscr. 9. pg. 39.

Monumentum inprimis memorandum, ut docet Reuvensius, ob anaglyphicum opus paululum tantum supra lapidis superficiem eminens, et vestigia circumlitionis, quae idem Reuvensius in ejus parte anteriori agnoscere sibi visus est.

In inscriptionis delineatione primae literae forma corrigenda secundum Tab. nostr. n. 26.

TAB. VII.

Inscr. 1. pg. 40.

Mense Septembri anni 1841 hanc inscriptionis restitutionem et interpretationem cum editore communicaveram, et in adversariis meis, postea si occasio esset ulterius examinandam, consignaveram.

[ΚΛΕΩΝΥΜΟΣ ΚΑΙ] ΛΥΣΑΝΙΑ
[Τ]ΑΝ ΜΑΤΕΡΑ ΚΑΙ ΕΧΕΚΛΕΙΑ
[Α]ΚΛΕΩΝΥΜΟΥ ΘΥΓΑΤΗΡ ΤΑΝ
[Μ]ΑΙΑΝ ΕΧΕΚΛΕΙΑΝ ΤΑΝ ΚΛΕΩΝΥΜΟΥ
ΘΥΓΑΤΕΡΑ ΘΕΟΙ[Σ]

Vertens

[Cleonymus et] Lusania || matrem (id est matris statuam), et Echecleia || Cleonymi filia || aviam, Echecleiam, Cleonymi filiam, diis (dedicarunt).

Stemmate hoc addito:

Cleonymus (proavus)
|
Echecleia (avia, cujus statua dedicata fuit)
|
Cleonymus et Lysania (ejus uxor?)
|
Echecleia (horum filia).

Sed recte observavit Clarissius, quem supra jam nominavimus, (quod mihi indicavit editor, quum ipsius textus paginae prelo mandatae jam erant), Lysaniam pro

mulieris nomine vix accipi posse, notum vero esse nomen viri, *Λυσανίας*. Jam inscriptionem ipse cum delineatione comparans, video ante illud nomen in primo versu certissima vestigia superesse literae Σ, spatio nullo particulae ΚΑΙ relicto, Vid. tab. nostrae n. 27.

Primus itaque versus ita legendus:

[*Κλεώνυμο*]*ς Λυσανία*

et vertendus: Cleonymus Lysaniae *filius; Λυσανία* Dorica dialecto scribitur pro *Λυσανίου.*

Stemma itaque hoc est:

Cleonymus (proavus)
Echecleia (avia) et Lysanias (ejus maritus)
Cleonimus (pater)
Echecleia (filia)

Ita ut Cleonymus Lysaniae et Echecleiae filius, Cleonymi nepos, cum Echecleia filia, matris et aviae statuam dedicaverint. Lysaniae, patris, nomen Cleonymus suo nomini addidit, quoniam sine eo de ipsius genealogia nihil constaret.

In tertii versus initio articulum A etiam nnm addendum arbitramur, quoniam et in reliquis versibus prima litera deëst in lapide, et articulus vocibus *μαῖαν* vs. 4°, et *θυγατέρα* vs. 5°, praemittitur.

Addendum denique, in delineatione inscriptionem pro altitudine quinta fere totius latitudinis parte, quam in lapide esse latiorem.

Inscr. 3. pgg. 41, 42.

Παραπρυτάνεις nonne fuerunt qui cum defuncto Prytanes fuerant, iidem qui *Συμπρυτανεῖς* vocantur, vb. o. in inscriptione quam Reuvensius ad marginem Auctarii Te Wateri jam citaverat, ex D'Orvillii Siculis, II. p. 566, et tabula ibidem?

Inscr. 4. pg. 42.

Addatur ex annotationibus Reuvensii MStis, monumentum descriptum esse a Tollio Epist. Itiner. pg. 4, in quo libro inscriptio lapidis nostri errore alii monumento tab. 20, jungitur.

In inscriptionis delineatione, ultima 2ᵃ versus litera, Υ, corrigenda est secundum Tab. nostr. n. 28, qnalis in ipso lapide conspicitur.

Inscr. 5. pgg. 42, 43.

Inscriptio minus recte lecta et delineata in plures errores editorem duxit; accuratius delineavimus in Tab. nostra n. 29:

Ματρόδωρος Μα
τρα

Prius nomen nulla difficultate premitur; in secunda, nisi ultima litera Α esset, compendium patris nominis *Ματροδώρου*, agnosceremus; nunc vero fortasse de urbe patria defuncti cogitandum, et vox supplenda *Ματραῖος*, Dorica dialecto pro *Ματρεῖος*, ex urbe Matreio in Rhaetia. Doricam dialectum quoque prodit *α* pro *η* in nomine defuncti.

Inscr. 6. pgg. 43, 44.

In anaglyphi descriptione addendum, praeter ea quae ab editore memorantur, flabellum quoque in scrinio positnm esse.

Caeterum minus recte Oudendorpium reprehendit editor ΙΣΙΔΟΤΗ in fine primi inscriptionis versus legentem, Η enim, non ΟΤ in lapide exaratum est, vid. Tab. nostr. n. 30. Reuvensius quoque ita legit, et annotavit nomina Latina Paullae Periliae, cum Graeco nomine, Isidote, juncta, probare monumentnm ad Graeciae Romanorum potestati subjectae tempora referendum esse.

Inscr. 7. pg. 44.

Observandum, quod spectat literarum Ο et ΟΤ promiscuum usum, lapidis inferiorem partem in fine inscriptionis esse mutilam, ita ut incertum sit, utrum Υ voci ΑΝΑΓΥΡΑΣΙΟ additum fuerit, nec ne. In nomine ΑΛΚΙΜΑΧΗ, tertia litera, Κ, delineanda fuerat, qualem in Tab. nostra, n. 31 exhibemus.

Inscr. 9. pg. 45.

Inscriptionis delineationem correctam offert Tab. nostra n. 32.

.... *λείδην Στρατο* ....

quod Reuvensius recte supplevisse nobis videtur in annot. MSta ad Leg. Papenbr. Descr.: [Στρατοκ]λείδην Στρατο[κλείδου].

In inscriptionis textu repetito duo versus:

Ὁ δῆ-
μος

post tertium poni debuissent, ut idem qui in lapide ordo servaretur.

Inscr. 12. pgg. 46, 47.

K in inscriptione 12 *a*, in ipso lapide formam habet Tab. nostr. n. 33 delineatam.

Inscr. 14. pg. 47.

In textu inscriptionis repetito, 1 versu, veluti in tabula et in ipso lapide, pro (ἄ)ρavτο legendum ἥρavτο; πένθος ἥρavτο dolorem acceperunt, dolore affecti sunt. in vs. 7 pro οὐδεπε corrigendum οὐδέ γε.

INSCRIPTIONES EX VARIA SEPULLECTILE DESUMTAE.

TAB. III.

Inscr. 2. *Tessera judicialis*, pg. 48.

Citantur ab editore aliae similes tesserae, in Diario Archaeol. Intelligenzbl. 1837. p. 101, n. 6 et 7*. (a Rossio) editae, sed inprimis huc facit tertia tessera, n. 7 ibidem edita, in qua legitur: ΛΤΣΙΘΕΙΔΗΣ || ΘΡΙΑΣΙΟΣ, additis litera E, Gorgonis capite et ululis duabus.

Caeterum miror de usu harum tesserarum dubitasse editorem, quum res notissima sit, et Dodwell, quem ipse citavit, pg. 433, de earum usu egerit. Tribunalia decem Athenis, singula una literarum A—K, distincta erant, iisdemque indicabantur; qui autem sortitione judex factus erat, tabulam accipiebat, tribunalis litera, ubi munere fungi debebat, ipsiusque et tribus ejus nominibus insigni-

tam. In introitu tribunalis judici symbolum porrigebatur, quo postea judicio adfuisse se probaret, et mercedem acciperet. Utrum autem tesserae judiciales tabellae, quas priori loco memoravimus, an vero symbola illa fuerint, non definio. — Illud certum est PHRYNOCLEM nostrum in secundo tribunali, litera B insignito, judicasse. Caeterum cf. de hoc argumento LETRONNE, Lettres d'un antiquaire à un artiste, sur l'emploi de la peinture historique murale, pgg. 171, sqq.

INSCR. 6. *In Glandula missili*, pg. 50.

Litera ρ in nomine *Δημητρίου* uncis quadratis includenda non fuerat, quoniam in ipsa glandula adest.

TAB. VIII.

VASA PICTA.

HYDRIA, 1. pgg. 52, 53.

In nomine *e* ΔΕΝΟΔΙΚΕ, et in altero, *h*, ΦΑΙΝΙΠΠΟΣ, prima litera uncis quadratis includenda non fuerat, sed alterum Π posterioris nominis in vase deëst, quod ita indicari debuerat.

In ipsa tabula post 3^am^ literam nominis *a*, lineae umbraticae sunt ducendae; idem observandum de secunda litera N in nomine *e*, cujus prior linea recta periit; prior litera Δ in nomine e, nimiam literae O similitudinem habet, et literae Π in nomine *h*, linea transversa nimis adscendit.

In imaginum descriptione addatur, in inferiori ordine, praeter sirenes, leones et tigrides, pictos quoque esse gallos gallinaceos. Porro quam pg. 53 vs. 2° mulierem editor vocat, vir est barbatus, nomine ΑΣΤΥΔΑΜΑ[Σ] ASTYDAMAS, posterior denique mulier non otiosas in dorso manus gerit, sed inter progrediendum respicit ad Astydamantem.

AMPHORA, 2. pgg. 53, 54.

Scriptoribus, qui ab editore de amphora hac citantur, inprimis addendi O. GERHARD, Rapporto intorno i vasi Volcenti, p. 174 annot. 671 et p. 175 annott. 673 et 675, KRAMER, Ueb. d. Styl und die Herk. d. bemahlten grr. Thongeff. p. 61.

In inscriptionum delineatione ultima nominis *d* litera formam habet, Tab. nostr. n. 34 exhibitam.

In nominum istorum recensione, pg. 53, pro ΡΑΣΟΝ, *f*, cum Gerhardo legere maluerim ΔΑΣΟΝ, *Δάσων*; nomen *h* est ΗΙΠΠΑΙΟΣ, secundae enim literae Π lineolae transversae pars adhuc in vase superest, sed maxima pars ruptura periit; pro ΧΑΝΘΟ, *i*, legendum ΞΑΝΘΟ vel ΞΑΝΘΑ; pro ΨΟΡΑ, *l*, praeferendum fortasse ΧΟΡΑ, *Χῶρα*, prima litera est rarior forma τοῦ Χ; utrum prima litera in nomine *c*, et 2da in nomine *m*, Ε sit an F, utrum ΟΕΑΤΙΕΣ an ΘΕΑΤΙΕΣ legendum sit, nescio, sed Ε illam formam habet in nomine ΑΤΑΛΑΝΤΕ, cf. tab. Gerhardi operi addita. De Witte in Descript. des antiques etc. de Mr. Durand, n. 145 amphoram descripsit, in qua satyri septem et Menades quinque picti sunt saltantes, nostris ut videtur simillimi, additis praeterea nominibus, in quibus ΧΑΝΘΟΙ (lege ΞΑΝΘΟΕ) ΗΙΠΟΣ, ΖΜΟΣ, ΜΕΛΠΑ...., ΔΟΡΚΙΣ, et ΕΙΟ, cum nostris sunt comparanda. Ex postremo nomine conjicere possumus signum Ε a De Witte quoque non F, sed Ε esse lectum, aut revera Ε in ea amphora pictum esse. Caeterum Digamma in vasis literae F formam habet, non τοῦ Ε.

In annot. pg. 54 prima litera adspirata vocis ΗΙΠΠΑΙΟΣ, minus recte ⊢ scribitur; veram ejus formam, quae festinante penicillo haud ita accurate in vase picta est, exhibemus in Tab. nostra n. 35, qualis legitur in duobus vasis; vid. Gerhard, Rapporto, Alfab. III. 9. Quae editor dicit de inscriptionum antiquitate, eundem scriptorem habent obloquentem, l. c. p. 175 note 673* et pgg. 71 seqq.; quae observatio spectat quoque amphoram sequentem.

Amphora, 3. pgg. 54, 55.

In annot. pg. 54 vs. 4 a fine, figuram stolatam, virum potius pallio indutum agnoscimus. In descriptione inferioris figurarum seriei praeter leonum, tigridum et sirenum addendae quoque fuerant arietum imagines.

Quod ad inscriptiones, editoris conjectura, cachinni exclamationes iis significari putantis, magnam veri similitudinem habere videtur. Ejusmodi inscriptiones, quae hucusque explicari nondum potuerunt, saepius in vasis, figuris obscoenis instructis, leguntur. Vid. Gerhard l. c. p. 173 nota 671 (*d*), (*e*).

CALIX, 4. pgg. 55, 56.

In imaginum descriptione, duo sunt corrigenda: non mulier, ut pg. 55 vs. 13 a fine dicitur, sed vir dextram levat; et vs. 4 a fine addendum, virum barbatum et mulierem obviam venire alteri viro barbato, qui respicit ad juvenem equo insidentem.

In inscriptionis delineatione, prior inscriptionis *a* litera corrigenda secundum Tab. nostr. n. 36.

AMPHORA, 5. pg. 56.

Quoniam literarum formae in tribus quae in Museo servantur vasis Panathenaicis non prorsus eaedem sunt, editor fortasse melius duas alteras inscriptiones etiam in tabulis addidisset. Certe quae in vasis istis pictae sunt imagines, breviter indicandae fuissent; sunt autem hae:

In secunda amphora (Collect. Princ. Canin. n. 545) duo ephebi equis insidentes, et ludimagister qui virga posteriorem equum ad currendum incitare videtur; a latere hujus equi cippus hippodromi cernitur, albo colore distinctus. In tertia (Collect. ejusd. n. 1946) quatuor ephebi picti sunt, quorum unus saltat, utraque manu pondere gravata, secundus hastam vibrat, tertius discum projicit; ante priorem horum et ad hunc conversus, quartus cernitur, sinistra duas hastas virgasve gestans. Tribus illis pentathli generibus totum pentathlon indicari docet GERHARDUS, Rapporto pg. 53, sequi.

Minerva in secunda amphora scutum habet serpente, in tertia vero panthera cervum lacerante, ornatum. Cf. de tribus illis amphoris GERHARDUS, in Ann. dell' Inst. di Corrisp. Archeol. 1830. pgg. 218, 219, nn. 2 (11), 5 et 8, ubi error animadvertendus quo vas, quod 2° loco describendum fuerat, 11° loco explicatur, eique alterum, postea demum memorandum, substituitur.

Caeterum notum est, vocem *εἰμί* (EMI), quae omittitur in ejusmodi inscriptionibus, addi in nobilissimo et antiquissimo vase Burgoniano.

AMPHORA, 6. pgg. 56, 57.

In imaginum descriptione pg. 56 vs. penultimo, Anchises minus accurate dicitur lanceam vibrare, nam sceptrum tenet.

Eadem Aeneae historia in alia quoque Musei amphora (Coll. Princ. Canin. 411) picta est, sed sine inscriptionibus, et addito alio puero qui Aeneam sequitur.

Inscr. 7. pg. 57.

Inscriptio haec non in hydria sed in Lecytho (Gerhard. l. c. n. 43) legitur. Quam arae inscriptam putat editor vocem IO, ornamentum potius arae, rudiori ratione pictum, est dicendum; constat autem lineola recta inter duas alias curvatas posita.

Hydria, 8. pgg. 57, 58.

Inprimis comparari meretur hydria e collect. Durand, De Witte n. 332, in quo Herculis et Hebes nuptiae depictae sunt, et Iolai nomen eodem modo ΙΟΛΕΟΣ scribitur.

In inscriptionum delineatione primae duae literae, ante Iolai os pictae, minus accurate altera alteri superpositae sunt; corrigendae secundum Tab. nostr. n. 37; et posteriores duae nominis ΑΘΕΝΑΑ literae in ipso vase figuratae sunt veluti n. 38 exhibemus. Inscriptiones autem legendas putamus ΗΟ ΚΑΛΟΣ ΙΟΛΕΟΣ, nam duae posteriores literae in vase adduntur, et ΑΘΕΝΑΑ.

Hydria, 9. pg. 58.

In imaginum superioris seriei descriptione observandum, juxta equites non senem, sed virum juvenem ingredi, et addendum iis quae de medio orbiculo dicuntur, praeter vestes vasa quoque ex lauris esse suspensa; templi porro aëtomatis extremitates laterales equo ornatas, tympanum clypeo inter duas serpentes; in ipso denique templo, supra unumqnemque lavantium, caput leoninum cerni, unde aqua profluit, ipsa vero aqua non indicata.

Hydria, 10. pgg. 58, 59.

Inscriptio B, α, ΧΑΟΝΕΙ, ΧΑΘΝΕΙ vel ΧΑΟΝΠ, in ipso vase a dextra sinistrorsum picta est, in tabula vero inversa ratione delineata.

INSCRIPTIO OMISSA.

Praetermissae sunt ab editore notae rasae in fundo exteriori vasis argentei elegantissimi operis, prope pagum Nederharen in Ducatu Limburgico effossi, quum magna fossa Sylva ducis Trajectum ad Mosam ducebatur. Notas eas delineavimus in tab. nostra n. 39; quae priori serie cernuntur Latinae sunt, secunda Graecae. Illas Reuvensius, ut ex annotatione MSta patet, interpretatus est: *Pondo Romana* (et) 3½ *uncias*, in eo tamen difficultatem animadvertens, quod unciae non lineis rectis, sed transversis indicentur. Sed tres illae lineae rectae ad pondo pertinere possunt, quod sequitur siglum semunciae nota est, ita ut legamus P(*ondo*) R(*omana*) *tria* (*et*) *semuncia*. Linearum ductus post R non dedita opera in superficie rasi videntur.

Notae Graecae Δ et Γ, cui posteriori annexum est ι, quid significent nescire me fateor; si numeros accipias, prior *decem*, posterior *tres* indicat; sed restat litera minuscula ι. Secunda nota num fortasse eadem esset quae in Catalogo pecuniae solutae, Tab. II. invenitur, et τοῦ Πέντε significationem habere videtur? ea ratione notae conjunctae numerum *quindecim* efficerent. Videndum num duae lineolae curvae, ante Δ rasae, ponderis, vel nummi cujusdam sigla esse possint.

Vas ipsum ponderat 952 *grammas*, sed quoniam in inferiori parte frustum periit, quum integrum erat aliquantulum gravius ponderasse debuit, 960 fere *grammas*.

Libra Romana aequalis censetur *grammis* 321.3; tres itaque librae . .	963.9.
Semuncia aut 24ta librae pars	13.4.
Igitur 3 librae et semuncia	977.3.

Unde patet vas jam 25.3 grammas minus ponderare quam quod numero in fundo raso indicatur; quod partim fragmento quod periit, partim quoque superficiei aliquantulum adtritae adscribere poterimus. Differentia illa multo minuitur, si librae Romanae gravitatem computamus secundum semissem, qui *Voorburgi* in villa Arentsburghiana, ubi olim Forum Hadriani fuit, repertus, in Museo servatur.

Ponderat semissis ille *grammas* 158 et libra igitur Romana integra *grammas* 316. Tres autem librae . . . . *grammas* 948.

et semuncia sive 24ᵃ librae pars	»	13.6.
3 igitur librae et semuncia	»	961.6.

ita ut differentia tantum sit *grammarum* 9. Statuere itaque possumus vasis gravitatem notis Romanis in fundo vasis indicari.

Notae autem Graecae, si Δ(έκα) Πέ(ντε) leguntur, capacitatem vasis indicare non possunt. Continet enim, si ad collum usque imples, *litra* 2.7; si ad extremam orificii marginem, *litra* 2.8. Prior autem mensura aequalis est *sextariis* quinque. — Conjecerit quis Δ *Δεναρίους*, Denarios, significare et Γ cum ε notare numerum *ἑκατόν* triplicatum. Summam ita haberemus *denariorum* 300, quae aut vasis pretium aut ipsius argenti aestimationem pro illo tempore exprimere potuerit. Vasis autem pretium secundum argenti aestimationem hodiernam 70—87 fere florenorum Neêrlandicorum summam efficit.

INSCRIPTIONES IN TABULIS NON DELINEATAE.

Inscr. 1. pg. 61.

Prima vox vs. 3ᵒ, in monumento ita exaratur MANTIↃ, penultima vs. 5ᵘ litera ω.

Inscr. 2. pgg. 61, 62.

Ἀλεξάνδρου μητ(ρὸς) Τυραν(ν)ίδος, non verteram sed explicueram: (Monumentum) Alexandri, filii Tirannidis; ad verbum vertendum est: Alexandri (filii) matris Tirannidis. Aegyptiorum mos erat in monumentis originem quoque a matre memorare, quod voce uc fiebat. Totam hanc inscriptionem signis hieroglyphicis exarata fuisset, prouti delineavimus in Tab. nostra, n. 40.

Inscr. 3. pg. 62.

Add. Descr. Rais. pg. 300. Vᵒ. 130.

INSCR. 4. pg. eadem.

Formula ΕΥΥΧΙ pro ΕΥΥΧΕΙ in monumentis Graecis Aegyptiacis trita est: addito et interdum *μετὰ τοῦ Ὀσίριδος*.

INSCR. 6. pg. 63.

Inscriptionem barbaram ita corrigo:

† *Ἔνθα καταχοι || μᾶται* (vel *κατακεῖται*) *ἡ μακαρία || Μάνμα· ἐτελεύτησεν || μηνὸς Χοίαχ ι' || Ἰνδικτιῶνος κζ'. Ἀνά||παυσον τὴν || ψυχὴν αὐτῆς || εἰς κόλπον Ἀ||βραὰμ καὶ Ἰσα||ὰκ καὶ Ἰακώβ.* †

INSCR. 7. ibid.

Magnitudinis mensurae ita corrigendae: Alt. 0.043; lat. 0.055.

INSCR. 8. pgg. 63, 64.

In descriptione ornamentorum sphragidis quae de patera, guttis, globulis cett. dicuntur ad hoc monumentum accommodari nequeunt. Est capitis tegumentum Aegyptiacum, quod in media sphragide cernitur, quodque constat tribus plantarum fasciculis, quibus singulis discus est impositus.

INSCR. 9. pg. 64.

In 2° versu inscriptionis *a*, prima littera non est Λ, sed Α.

Quae in aversa gemmae parte sculptae sunt literae maximam partem vocales sunt et monumentum ad Marcosiorum sectam referendum esse indicare videntur.

INSCRIPTIONES OMISSAE.

1. In tabella lignea, ab utraque parte securicula munita, ex Aegypto cum Museo Anastas. allata. Cf. Descr. Rais. pg. 305. X. 2. — Alt. 0.075; lat. 0.25.

ϹΑΡΑΠΙωΝ ЄΡΜΑΙϹΚΟΥ ΧΡΥϹΟΧЄΡΙΟΥ
ЄΞΗΓΗΤЄΥωΝ ЄΝΑΡΧΟϹ
ЄΤЄΛЄΥΤΗϹЄΝ ЄΤωΝ
$\overline{\text{NЄ}}$

Σαραπίων Ἑρμαΐσκου Χρυσοχερίου, || Ἐξηγητεύων ἔναρχος, || Ἐτελεύτησεν ἐτῶν || νέ.

Notandum participium 'Ἐξηγητεύων pro nomine 'Ἐξηγητής; in inscriptione apud CHANDLERUM eodem modo verbum Γραμματεύων usurpatur pro Γραμματέως munere fungi.

2. In simili tabella, et ex eodem Museo. Descr. Rais. ib. X. 3. — Alt. 0.055; lat. 0.20.

ΘΑΝΕΙϹ ΜΗΤΗΡ
ΠΑΙΔΙωΝ Δ
ΕΥΨΥΧΙ

Θάνεις μήτηρ ‖ παιδίων δ'. ‖ Εὐψύχι.

In sinistra tabellae parte palmae ramus sculptus est.

Tabellae hae, vel tesserae sepulcrales, mumiarum loculis, ipsisve mumiis annexae fuerunt.

INSCRIPTIONES LATINAE.

INSCRIPTIONES EX MONUMENTIS POLITICIS.

TAB. IX.

INSCR. I. pgg. 69—74.

Ad pag. 70 vs. 5. REUVENSIUS in ann. MSta rationes, ob quas spurium censet lapidem, affert: »externam ejus formam et colorem qui a rubris et croceis granu»lis mixtus videtur; cum tegulae fictiles soleant unius coloris rubri esse."

Ibid. vs. 14 a fine. Later coctilis quem citat editor, et in quo Velledam a militibus Romanis abductam exhiberi inter alios censuerat VAN LOON, Aloude Hist. T. I. pg. 154, non est idem qui in Museo antiquario asservatus fuit, (nunc autem cum aliis ejus generis monumentis in Museum ethnographicum Haganum migravit), sed alius a VAN WYN descriptus in libro, cui titulus: Huiszittend Leven, T. I. pgg. 523—533 et 612—622. Inter plures ejusmodi lateres unum quoque possedit Museum, quem, secundum annotationem MStam ei junctam, anno 1696 A. HEYLING

aliquis in fundamentis Brittenburgi invenisset. Anaglyphum vero lapidis, ut videtur, spectat bellum Franciscum I[um] inter et Carolum V[tum], et pertinet igitur, ad primam saeculi XVI[i] partem. Rem accuratius memorandam putavimus, quoniam exteris haud ita nota sunt, quae de lateribus istis in patria nostra somniarunt nonnulli ex nostris historiarum scriptoribus. Egimus autem de hujusmodi lateribus paullo fusius eorumque 42 descripsimus in Symbolis historicis et antiquariis ab Nyhoff, V.O., titulo: Bijdragen voor Vaderlandsche Geschiedenis en Oudheidkunde, T. III, editis.

Inscr. 2. pgg. 74, 75.

Pg. 75 vs. 14. Reuvensius in ann. MSta citat similem lapidem apud Sponium, Miscell. pg. 164, correctum a Cannegietero in Op. de Brittenb. pg. 58.

In inscriptionis delineatione puncta diacritica sunt omissa: in prima inscriptionis parte, vs. 6 post literam K, in altera parte, vs. 2 post ET, vs. 4 post RECTORI et post ITALIAE.

TAB. X.

Inscr. 1. pgg. 75—78.

Columnam hanc milliariam spuriam habuit Reuvensius, ex quo tempore illam in villa Viri Nobiliss. van der Heyden van Baar ipse spectaverat et delineaverat. Pluribus argumentis, quorum nonnulla certe privatis colloquiis vel ex notis Reuvensii MStis nobis innotuerant, usi, jam in Ephemeride Neerlandica (Staats-Courant) anni 1839 n. 96, columnam spuriam esse et cum ejus veritate omnia interire, quae inde de veteri patriae nostrae topographia deduxissent viri docti, docuimus. Erant autem argumenta ea: forma baseos ad posteriora tempora referenda, literarum figurae, et modus quo sculptae erant, errores in pluribus vocibus obvii, ipsaque materies monumenti et superficiei conditio.

Inscr. 2. pgg. 78, 79.

Ad pg. 79 vs. 3. Praetorium Agrippinae in *Romanoburgi*, vel *Roomburgi* confiniis situm fuisse, inter alios docuerunt: Cluverius, Alting, D'Anville, Wilhelm, Mannert, Reichard et Reuvensius.

In delineatione puncta diacritica addenda in vs. ultimo, post BAT et post VENIDIO.

INSCR. 3. pg. 79.

Ad pg. 79 vs. 10. Praeter CUPERI Epist. ab IN DE BETOUW editam, et hujus quoque opus de Inscriptt. Neomagg., REUVENSIUS citavit in annot. MSta, Amusemens des eaux de Clève, pg. 163.

Ibid. vs. 7, a fine paginae. Ad OUDENDORPII observationem, inscriptionem referendam esse ad annum a Christo nato CXX, ultimum SEVERI, REUVENSIUS addit: »Secundum ALMELOV. Fastt. Coss. p. 148, 281."

In delineatione Inscriptionis, vs. 2° post nomen ASPADIVS signum diacriticum est omissum.

TAB. XI.

INSCRR. 1, 2. pgg. 79—81.

Ad pg. 80 vs. 3. HEVRESIDI in lapide legitur non HEVRISIDI, quod hic monendum putamus, quoniam vir inscriptionum antiquarum peritissimus, in crisi JAHNII Speciminis, (Ephemerr. Goetting. 1842 n. 109 inserta, pg. 1087 nota *) posterius in lapide nostro inveniri affirmavit.

Vs. 8 pro MELIORE legendum, ut in ipso lapide, MELIORI.

Pg. 81 vs. 15. Apices literarum T, in primo versu inscriptionis in lapidis aversa parte incisarum, fere integri supersunt, in delineatione igitur addendi fuerant. Quod ad rariores literarum nonnullarum formas in utraque inscriptione obvias, cogitandum, easdem prorsus a lapidis dimensione et inscriptionis amplitudine pependisse.

In delineatione signa diacritica ponenda sunt in vs. 1ᵐⁱ posteriori parte, prouti hic exhibemus: C·V·COS·CVR·REI·P·VTIK; in vs. 2°, post nomen MARCELLAE, in vs. 3°, post ACCIAE, et in vs. 4° post CASTOREAE; lineolae praeterea transversae in apice literarum T adjungendae vs 2ᵈᵒ literae 2ᵃᵉ ab initio, et literae 7ᵐᵃᵉ a fine, vs. 3ᵗⁱᵒ, literarum 15 et 21; lineolae denique transversae addendae in inferiori parte, literarum LL vocis GALLONIAE in vs. 2ᵈᵒ.

INSCR. 3. pgg. 81, 82.

Putaveramus olim inscriptionem, in duas partes divisam, duobus lapidibus incisam, et ita aedificio insertam fuisse; editorem vero melius vidisse fragmenta ad

unum eumdemque lapidem pertinere facile patet. Caeterum quam mense Septembri anni 1841 cum editore communicaveramus inscriptionis restaurationem, praeferendam censemus, saltem si nomen TELESPHORVS in postremo versu integrum scriptum fuisse statuamus:

IMP· T· C[AESARI · FLA]
V E S P AS[IANO·AVGVSTO]
[P O N T I]FIC · MAX[I M O]
[TRIB·P]OT · COS · II [P·P·L]
[ABVC]CIVS·TELES[PHORVS]

TAB. XII.

Inscr. 3. pgg. 82, 83.

Ad pg. 83 vs. 3, aut TRIMOD*iam* suppiendum est, aut pro QVA in lapide QVO corrigendum.

Inscr. 4. pgg. 83, 84.

Ad pg. 83 vs. 7 a fine, pro PITRONIVS corrigendum PETRONIVS, secunda litera hujus nominis lineolam transversam superiorem in lapide servavit.

Vs. 5 a fine, Oudendorpius melius supplevit: *hoc signum posuerunt.*

TAB. XIII.

Inscr. 2. pgg. 85, 86.

Ad pg. 86 vs. 4. Non tantum Cannegieterum de Gemma Bentinck., sed Saxium quoque de Ara Romana addiderat Reuvensius reliquis scriptoribus, quos omnes de hoc monumento consulendos indicavit Oudendorpius.

In inscriptionis delineatione signa diacritica ponenda: vs. 1° post IOVI, vs. 3° post SOLI, et post INVICTO, et vs. 5° post MARTI.

Inscr. 4. pgg. 87, 88.

Ad pg. 87 vs. 3 a fine, Sacellum non columnis duabus sed parastatis sustentatur.

Ad pg. 88 vs. 7. Oudendorpii error legentis: HVCDiON·I·S·L·M, excusandus, quoniam, temporis injuria ut videtur, revera inter i et S lapidis particula excidit, ita ut signum diacriticum adfuisse putare potuerit; caeterum signa diacritica adesse in lapide videntur post literas S et L.

Inscr. 5. pgg. 88, 89.

Omissa citatio, quam Reuvensius in nota MS. addidit, Maffei, Mus. Veron. p. 449. n. 2.

TAB. XIV.

Inscr. 1. pgg. 89, 90.

In inscriptionis delineatione signa diacritica addenda: vs. 5°, post voces VBI, OMNIBVS et ANNIS; vs. 6°, post XVi; vs. 7°, post primum T; vs. 8°, post ET; vs 9°, ante et post K, et vs. 10°, post PATRI; literae primae, V, porro in vs. 5° alterius lineolae pars superior in lapide adhuc conspicitur; quod idem dicendum de vestigiis notae numeralis X, in principio vs. 9°, et literae P in principio vs. 10°.

Inscr. 3. pgg. 90, 91.

Ad delineationem inscriptionis animadvertendum in ipsa ara, post vocem DEAE, sed ut videtur recentiori manu, literam A esse incisam.

INSCRIPTIONES EX MONUMENTIS SEPULCRALIBUS.

TAB. XV.

Inscr. 1. pgg. 93, 94.

Quod Oudendorpius recte notatum ab aliis ait, de inscriptione ad illud usque tempus omnino sine vitiis aut satis exacte nondum descripta, quodammodo de postrema editione dici quoque possit, quum in tabula, vs. 2° litera S nominis AMARANTHVS nimis parva delineata sit, literae E vocis MERITAE, in vs. 4°, duae

lineolae transversae superiores addendae fuissent, et vs. 9°, pro EXIGI, secundum archetypon EXEGI scribendum. Posterius autem quum ex accurata lapidis inspectione pateat, injuste vituperatur OUDENDORPIUS in adnot. pg. 94 vs. 3. — Neque igitur inter errores quadratarii EXIGI pro EXEGI (vid. pg. 94 vs. 2.) notandum fuerat; contra observandum vs. inscriptionis 2ᵈᵃ nomen AMARANTVS in ipso lapide exarari AMARANTHVS.

INSCR. 2. pg. 94.

EPAPRODIIVS non perperam pro EPAPRODITVS sed pro EPAPHRODITVS in lapide exaratum est. Ita quoque nomen in repetito inscriptionis textu scripsit OUDENDORPIUS.

INSCR. 3. pg. 94.

In textu inscriptionis repetito pro VALERAE secundum lapidem VALERIAE legendum. Caeterum in fine pg. 94 dicendum fuerat OUDENDORPIUM, quum ultimum inscriptionis versum explicuisset: *cum qua vixit annos quinquaginta, septimanas sex*, addidisse: »nisi potius vitiosa in lapide sit littera L pro I vel O, et »debeat legi solum *annis* vel *annos* VI."

INSCR. 4. pg. 95.

In delineatione addenda signa diacritica vs. 6°, post CLAVDIVS, et vs. 7°, post CONIVGI.

INSCR. 5. pg. 95.

In delineatione inscriptionis, vs. 4°, signum diacriticum ponendum post CONIVGI.

TAB. XVI.

INSCR. 1.

In delineatione inscriptionis, vs. 6°, majus spatium inter 7ᵐᵃᵐ et 8ᵛᵃᵐ literam relinquendum fuerat.

INSCR. 2. pg. 96.

Ad vs. 9. Non tantum in MSto indicavit REUVENSIUS locum, ubi ara effossa fuisse dicitur, sed idem quoque observavit de alio monumento marmoreo nunquam in patria nostra invento.

Inscr. 4 pg. 97.

In inscriptionis textus repetiti vs. 4°, pro VIRGINi, cum Oudendorpio melius legatur VIRGINio, aut VIRGINeo. Ad ultimum vs. notandus fuisset quadratarii error QVERELLA pro QVERELA. *Carnuntum* denique hodie S. Petronellam esse, addita eadem Krusii operis citatione jam annotaverat Reuvensius.

In delineatione, nimium spatium relictum est inter F et V vocis FVERVNT, in vs. inscriptionis 6°.

Inscr. 5. pgg. 97, 98.

Quadratarii error notandus fuerat TERETIN. pro TERENTIN.

Inscr. 6. pg. 98.

In delineatione inscriptionis observandum, in vs. 4°, lineolam rectam incisam esse juxta literam T vocis FECIT; in vs. 5° utriusque literae M crura nimis oblique sunt delineata. Quae notanda ob dubiam tituli fidem.

TAB. XVII.

Inscr. 3. pgg. 99, 100.

Inscriptionis vss. 9^{num} et 10^{mum} cum Oudendorpio corrigendos censemus: QVI DOLOR ABS TE NOBIS HARMONIA RVFINA RELICTVS EST; id est: sed Harmonia Rufina hunc tu dolorem nobis reliquisti, quod annis XIII tantum — nobiscum una vixisti. In vs. 16° quoque Oudendorpius melius correxisse QUAE GENVIT, pro QVAE GEMUIT, videtur, quoniam sequitur DOLET. — Pg. 100 inter errores quadratarii minus recte notatur, ex vs. 15°, BESTRAM pro VESTRA, nam in lapide legitur BESTRA. In delineatione porro litera N vocis NOBISCVM, in vs. 1°, figuranda fuerat ut eadem litera in NOS, vs. sequenti; prima denique litera, Q, in vs. 9°, caudam habet in ipsa versus basi jacentem.

Inscr. 4. pg. 100.

Addi utiliter potuerat ex Reuvensii annotatione MSta, *Corpus subaedianum* illud nomen fortasse habuisse ob proximitatem aedis alicujus.

INSCR. 5. pg. 100.

Omissa est citatio OUDENDORPII Leg. Papenbr. Descr. p. 35, n. 41; et ex annot. REUVENSII MSta, CHEVALIER, Chambre des Raretés, quem citavit SAXIUS, de Ara Romana, p. 157.

TAB. XVIII.

INSCR. 1. pg. 101.

In inscriptionis textu repetito, vs. 1°, pro PALLI*i* leg. POLLI*i*.

INSCR. 3. pg. 102.

Quum in ipso lapide vs. 3 non FVIT sed EVIT legatur, putaverim inscriptionem ita fere esse suppiendam: E VIT(*a*) AD SVPE[R]OS *migravit*, MENSES *natus* VII.

Ad delineationem observandum, literarum S in SE vs. 1°, in fine vocis SVPEROS vs. 3°, et in fine vs. 4ᵘ, partem superiorem multo majorem quam inferiorem delineandam fuisse. Caeterum in Spec. Catal. MSto REUVENSIUS inscriptionem suspectam habuit.

INSCR. 6. pg. 103.

In textu inscriptionis repetito, pro PIISSIMO ponendum PIISSI*mo*. **In ipso lapide** litera E vs. 4°, formam habet qualem in Tab. nostra n. 41 exhibnimus.

TAB. XVIIII.

INSCR. 1. pg. 104.

In delineatione lineolae transversae in literis A duabus prioribus vs 2°, et eadem litera secunda vs. 5°, omissae sunt; in ipso lapide additae.

INSCR. 2. pg. 104.

REUVENSIO haec inscriptio suspecta videtur in Spec. Catal. MSto.

INSCR. 3. pg. 105.

In ipso lapide prima litera post nomen AEMILIVS, vs. 3°, literae L formam habet, et 4ᵗᵃ quae sequitur, non T, sed etiam L est, eodem fere modo exarata quo L in

voce FLAM. In vs. 4° post DIVI ipse lapis signum diacriticum habet. Versus itaque 3^tius legendus est: M(*arcus*) AEMILIVS L(*ucii*) F(*ilius*) PAL(*atina*) RESPECTVS, cett., non vero PAT(*er*), quod corrigendum pg. 105 vs. 6°.

Inscr. 4. pg. 105.

Hanc quoque inscriptionem spuriam censet Reuvensius in Spec. Catal. MSto.

TAB. XX.

Inscr. 2. pg. 106.

Oudendorpii correctionem, STEL (*latina tribu*) legentis, praetulerim; nam libertus, nisi ipse idem patroni nomen habuisset, in monumento leviter haud ita hoc indicaturus fuisse videtur. Caeterum Reuvensius in Spec. Catal. MSto dubitavit an hic titulus ad monumentum sepulcrale pertinuerit, quum balneum aliudve aedificium spectare quoque possit.

Inscr. 3. pgg. 106, 107.

Ad pg. 107 vss. 4 seqq. Miror editorem literam C inverso ordine positam, errorem quadratariorum habere aut varietatis causa ita scriptam. Est usitatissimum inscriptionum compendium pro CAIA vel CAIAE. Fuit igitur Herennia Strategis, quae in hoc titulo memoratur, Cajae liberta, ut recte explicavit Oudendorpius.

Inscr. 4. pg. 107.

Cum Oudendorpio potius legerim: VOLVSIA, FADAE *Liberta*, VRBAN(*a*) || HILARI*o* cett. Ita duobus nominibus patroni patronaeve nominis mentio interjici solet. Hilarium vero, non Hilarem, appellatum fuisse defunctum patet ex vs. 3° inscriptionis, unde quoque colligimus, in vs. 1° postremam vocem, VRBAN, ad Volusiae non vero ad Hilarii nomen pertinere.

In delineatione punctum diacriticum post HILARI, vs. 2°, omissum est. In vs. 3°, in priori ultimae literae parte, lineola transversa addenda fuerat, quasi A esset, isque quadratarii error in annotatione indicandus.

INSCR. 5.

Inscriptio legenda videtur: POSTVMIA *Publii Liberta* MVRTIS || *Publius* POSTVMIVS *Publii Libertus* EVDAMVS *Et* (F per quadratarii errorem pro E posito, et T omisso) *Vlpia* (aut PV*blia*, F pro P posito) POSTVMIA *Cajae Liberta* LESBIA. Atque ita quoque intellexisse REUVENSIUM efficere possumus ex versione in Spec. Catal. MSto. Caeterum ob lapidis speciem idem titulum suspectum aliquantulum habuit.

INSCR. 8. pg. 108.

Inscriptio haud ita accurate delineata, et propterea minus recte lecta est, hoc modo, ut videtur, legenda: *Lucius* OCTAVIVS LVCII || LIGVRIS *Libertus* EPAP[H]RODITV[S] || [L]*uciae* OCTAVIAE *Lucii Libertae* OPTATAE [ET || POSTERIS (vel LIBERIS) S]VIS [ET] SI*bi* VIVO[S] (pro *vivus*) sc. *fecit*. Nomen *Epaphroditi* in lapide legitur prouti in Tab. nostra n. 42 exhibuimus. Praeterea in inscriptionis delineatione lineolae transversae omissae sunt in prioribus duabus literis A; et ultima quae in eodem versu superest litera non est I sed E.

TAB. XXI.

INSCR. 1. pgg. 108, 109.

In tituli textu repetito unci quadrati in nomine CAESEHA, in 2° versu, sunt tollendi; contra N vocis MONVMENTI in vs. 5° iisdem includendum.

INSCR. 2. pgg. 109, 110.

Ad pg. 109 vss. 17 et 18. SAXIUM et CANNEGIETERUM citavit quoque REUVENSIUS in Spec. Catal. MSto, et aliud praeterea simile monumentum, in patria nostra inventum et Neomagi in Curia servatum, quod descripsit in Libro Antiquiteiten, Tom. II. Parte I.

Ad vs. ejus pag. ultimum. Duo viri, in margine monumenti sculpti, taedas vel palmarum ramos tenere videntur, reliquum marginis spatium ramis foliisque ornatum.

In delineatione inscriptionis signum diacriticum post vocem [TR]ACHVM, vs. 4° omissum est.

INSCR. 3. pg. 110.

PROCVRT in 2da inscriptionis versu a REUVENSIO quoque in Spec. Cat. MSto explicatum fuerat PROCVRAT*oribus*

In delineatione vs. 6to litera 6ta, T, corrigenda secundum Tab. nostrae n. 43; in vs. ultimo post AG signum diacriticum ponendum.

TAB. XXII.

INSCR. 1.

In delineatione inscriptionis posteriores duae vs. 1^mi^ literae VS, et 2da litera vs. 3^ii^, quae in lapide E est, non vero F, corrigendae sunt secundum Tab. nostr. nn. 44 et 45.

INSCR. 3. pg. 111.

In textu inscriptionis repetito, duae posteriores nominis CAVETDIVS literae uncis includi non debuerant.

INSCR. 4. pg. 111.

Compendiorum explicationem eandem jam proposuerat REUVENSIUS in utroque MSto; et praeterea in Spec. Catal. citat FLEETWOOD, p. 159. n. 2.

In delineatione inscriptionis A nominis HERCVLANVS, corrigenda secundum Tab. nostr. n. 46.

INSCR. 5. pgg. 111, 112.

Ad pg. 112 vs. 1. Nomen defuncti secundum lapidem legendum est *Marcus* ARTORIUS.

In delineatione observandum spatium nimium inter duas posteriores 3^ii^ versus literas esse relictum. Duae priores ultimi versus literae corrigendae sunt secundum Tab. nostr. n. 47.

INSCR. 6.

In delineatione linea obliqua omissa, quae in lapide, sive quadratarii errore, sive recentiori manu, ducta est post secundum S et trans literam T, vs. 1°; vid. Tab. nostra n. 48.

TAB. XXIII.

Inscr. 1. pg. 112.

In delineatione vs. 4° omissa est litera S vocis ANNIS, quae in ipso lapide conspicitur, ideoque in textu repetito, pg. 112 vs. 2 a fine, litera majuscula imprimenda fuerat.

Inscr. 2. pg. 113.

ANNIS. IXV, explicandum videtur ANNIS. XIV. In delineatione signum diacriticum omissum est inter T et B vs. 6°.

TAB. XXIV.

Inscr. 4. pg. 115.

In ipso lapide ante monogramma Christi, litera V inversa ratione (Λ) exarata est.

Inscr. 5. pg. 115.

Vs. 4° prima litera in lapide conspicitur veluti in Tab. nostra n. 49 eam exhibuimus; pro [A]MASIA melius fortasse suppleatur [ATHA]NASIA.

Inscr. 6. pgg. 116, 117.

Ad pg. 116. Quae afferuntur anaglyphorum Sarcophagi explicationes, a Reuvensio jam adscriptae erant in margine Leg. Papenbr. Descriptionis. Postea in Spec. Catal. MSto, in tertii segmenti anaglypho exhiberi censuit Christum postquam resurrexerat a Maria Magdalena agnitum, eamque explicationem probari tum Petri imagine adstantis et galli gallinacei figura in columna posita, quae rem recenter factam spectare possunt; tum quoniam in aliis quoque sarcophagis, in media parte praecipua ejusmodi Christi historiae pars exhiberi soleat. Quintum vero segmentum aegrotum, sive coecum, sive lepra affectum, spectare putat.

Ad pg. 116 vs. 11 a fine. Jonae historiam in parte superiori sarcophagi exhiberi idem annotaverat Reuvensius; Jonam autem indicari *Columba*, Hebraeorum lingua Jona dicta, et tritones tubam inflantes ventos significare, eodem Reuvensio annotante in margine Leg. Papenbr. Descr., docuerat Humbert de Superville, V. Spect., Musei ectyporum gypseorum et tabularum Acad. Lugd.-Bat. Director.

Ad pg. 117. Reuvensio de inscriptionis fide dubitanti facile assentiatur qui columnas tortiles, et universam architecturae rationem, qualem in sarcophago cernimus, post demum Marcelli Episcopi obitum in usum irrepsisse cogitet;

igitur ipsum sarcophagum ad tempora posteriora esse referendum. BRUYESSIUS annotat in Spec. Cat. MSto, tempore quo obiit MARCELLUS, cultum Christianorum nondum ita fuisse stabilitum, ut opus tam magnum et pretiosum tunc jam produxerit; literarumque formas, uti ex nummis docemur, tunc multo rudiores et magis barbaras fuisse, quam quales in sarcophagi inscriptione appareant. Hae autem pulchriori forma eo consilio exaratae videntur, ut antiquitatis speciem majorem adipiscerentur. Quod observavit editor, sarcophagos hujusmodi venales fuisse, ac, quum emerentur demum titulis suis esse ornatos, hic usu venire non potest, quoniam inscriptio si genuina esset, anaglypha aetate multo antecederet. Inscriptionem autem incisam antequam anaglypha sculperentur nemo statuerit.

TAB. XXV.

INSCR. 1.

In lapide ipso, vs. 4°, annorum numerus exaratus est qualem in Tab. nostra n. 50 delineavimus; signum praeterea diacriticum positum post MINVS in postremo versu.

INSCR. 2. pg. 117.

In lapide post secundum versum, conspicitur columbae figura prope arborem vel palmae ramum.

INSCR. 3. pg. 117.

In delineatione inscriptionis litera 4ta vs. 3i et litera 4ta a fine vs. 5i corrigendae sunt ad Tab. nostr. n. 51.

INSCR. 5. pg. 118.

Figura 4ta vs. 1i inscriptionis folium potius quam litera esse videtur, quale in aliis quoque Musei inscriptionibus apparet: quapropter potius legendum censemus: ....[PARTH]ENIA *Lucii* FIL[IA] cett. Literae 5a et 6a versus 1mi conspiciuntur in lapide quales in Tab. nostra n. 52 exhibuimus.

INSCR. 6. pg. 118.

Posterior pars 1mi versus in lapide conspicitur, qualem in Tab. nostra n. 53 delineavimus.

INSCR. 7. pg. 119.

In inscriptionis delineatione litera A vs. 3°, corrigenda est secundum Tab. nostr. n. 54.

INSCRIPTIONES EX VARIA SEPULLECTILE DESUMTAE.

TAB. XXVII.

INSCRR. 5 et 6. pg. 124.

Conjici possit DOM*itiano* CO*nSule*.

TAB. XXVIII.

INSCR. 3. pg. 124.

Ad vs. 9 a fine. Multo plures tegulae eadem inscriptione munitae Voorburgi, in villa Arentsburghiana repertae sunt, sed quadraginta tantum et quod excurrit, in Museum translatae.

INSCR. 6. pg. 125.

Tres priores literae in tegula, in villa Arentsburghiana reperta, leguntur veluti in Tab. nostra n. 55 exhibuimus; quod ob literae L formam inprimis est notandum, similem ejusdem literae formae in inscr. tegulae Tab. XXVIII. n. 18.

INSCRR. 8—11. pg. 125.

Quinque tegulae ejusdem legionis jam prope pagum *Rossem*, in ripa Vahalis repertae sunt, eodem loco ubi olim *Grinnes*, mansionem a TACITO, Histt. V. 20, et in Tabula itineraria memoratam, sitam fuisse probare conati sumus in opere nuperrimo edito, de Monumentis antiquis Romanorum Rossemi inventis.

INSCR. 23. pgg. 127, 128.

Crediderim potius et hic quoque Consulis alicujus nomen latere. Numerus enim in inscriptionibus tegularum haud ita vocibus *Legio* aut *Cohors* praemitti solet. Penultima porro litera non est Q sed S retro versum.

INSCR. 25. pg. 128.

Ob easdem rationes consulis nomen potius agnoverim: V[LP]*lo* aut V[LP]*iano* CO[N]*Sule*.

TAB. XXVIIII.

Inscr. 39. pg. 133.

Ultima hujus inscriptionis litera N esse videtur, quapropter legerim CATI*i* CAN*ulei*. Caeterum memorandus fuerat imbrex hic, in villa Arentsburgiana repertus, supra pg. 128 post n. 23.

TAB. XXXI.

Inscr. 220. pg. 151.

In margine alius lancis ex terra rudiori coctae, in villa Arentsburghiana repertae, bis quoque eadem nomina leguntur:

VACASATVS
PRAPIATI

Pg. 157 vss. 13 et 14. Inscriptionem hanc cum aliis duabus, similium lagenarum vitrearum fundis impressis, citavimus in Commentat. de duobus Sarcophagis Romanis prope Neomagum anno 1840 repertis, Symbolis historicis et antiquariis (Bijdragen voor Vaderlandsche Geschiedenis en Oudheidkunde) a Nijhoffio editis, Vol. III inserta, pg. 25.

TAB. XXXII.

Inscrr. 304, 305 et 316, pgg. 160, 161.

Inscriptiones has MARII, MARCI, IVN(II) legimus et citavimus in Monumentis antiquis Romanorum Rossemi inventis, pg. 118.

Inscr. 347. pg. 164.

Secundum signum a dextra in vs. 2° potius diacriticum quam literam O habuerimus; in ipsa sphragide sculptum est quale in Tab. nostra n. 56 exhibetur; quod si verum est, secundum nomen legendum erit P*ublii* SCANT*i*.

Inscr. 350. pg. 165.

In delineatione sphragidis, in vs. 2° nimium spatium relictum inter R et C.

Inscr. 353. pg. 165.

Sphragidis delineatione inversa, primum versum, qui nunc secundus est, legimus IΑω, aeonis Gnosticorum nomen.

TAB. XXXIII.

Inscr. 1. pg. 167.

Prima litera vs. 4° corrigenda secundum Tab. nostr. n. 57, et tres priores literae vs. 7°, secundum n. 58.

Inscr. 3. pg. 168,

Inscriptio non est Graeca; sed, ut videtur in tab. inversa ratione delineata; si invertas in primo versu apparent literae NOV, *novem? november?* aut simile quid. Secundi porro versus figurae corrigendae sunt secundum Tab. nostr. n 59.

INSCRIPTIONES OMISSAE.

1. In semissi plumbea satis integra, in villa Arentsburghiana reperta, legitur:

Semis.

Vid. Tab. nostr. n. 60. Ponderat autem, ut supra pg. 27 diximus, grammas 158.

2. In uncia plumbea, in eadem villa Arentsburghiana reperta. In parte superiori notam, ut videtur, *unius unciae* impressam habet, vid. Tab. nostr. n. 61; ponderat circiter 29 grammas, quod duabus et quod excurrit grammis superat legitimum unciae pondus. — Quae in altera unciae parte leguntur notae, vid. Tab. nostr. u. 62, num casui sint tribuendae an dedita opera ponderi impressae, nobis haud liquet.

Ex tegulis legionum et imbricibus in villa Arentsburghiana repertis, et in Museum antiquarium translatis, descripsimus aut descriptas etiam invenimus inscriptiones has:

3. SVB ANT*onino* PIo COnSu*le*.

4. *Cohors Germanorum Pia Fidelis.*

5. In pluribus imbricibus curvatis

Ǝ. Ꟊ. Ɔ. Ɔ.

quae, a dextra sinistram versus legenda, eandem Cohortem spectant, in fine Ǝ male pro F posito.

6. In fragmento tegulae, quales editor Tab. XXVII exhibuit:

In medio orbiculo F, in circuitu [P]RAE[D]*iis*.

In fundis cuporum, scutellorum, et paterarum ex terra Samia factorum, in fragmentis doliorum, lancium cett. ex rudiori terrâ, quae in eadem villa Arentsburghiana effossa sunt:

7. APRILIs.

8—10. BOADAIF, (9) BOVDV.VSFEC.et(10) BOVDVSVS FEC (cf. T. XXVIIII. nn. 22 et 23).

11. [CL]AVDIVS.

12. COMISLIVS F (cf. eadem inscriptio, sed non integra Tab. XXVIIII. n. 54).

13. CRVMMVI F (id est CRVMMIVS F).

14. CVSA.

15. ELERNVS.

16. IA[FV?] (in ansa dolii majoris).

17. INC (impressa in superficie cymbii).

18. IOVI-ANI id est IOVIANI (*manu*).

19. LENIVS.

20. LEQAR (in ansa dolii majoris).

21. LOCCA.

22. [M]AR+AL F (id est MARTIALIS *Fecit*. Cf. Tab. XXX. n. 125).

23. MASCVLVS.

24. MELSSVS (id est MELISSVS. Vid. Tab. XXX. n. 125).

25. MISIVs.

26. NCI::IVS F (in margine lancis).

27. NICIR F (id est NIGER *Fecit*).

28. OFIENIVs F.

29. ORISSO F.

30. OVII (in ansa dolii majoris).

31. REITAC.

32. RISAIS FE.

33. SARELIVS.

34. [S]ECVNDVS.

35. SIMIVI.. (i. e. SIMIVS?)

36. SISAIS (fortasse minus accurate pro RISAIS vid. n. 32).

37. SOSIMIN.. (SOSIMINVS vel SOSIMIVS).

38. TITIANUS.

39. TVLLVS F.

40. [VIC]TORINVS F.

41. ...NIMINVS.

42. P CIIII (id est *Pondo* CIV; rasa in orificio amphorae majoris).

43. P. R. IIC (id est *Pondo Romana* XCII; rasa in fragmento dolii majoris).

---

44. Rasa in vaso argenteo, de quo supra pg. 26 egimus. (Cf. Tab. nostr. n. 39): P. III. Σ. R. (id est. *Pondo Romana* III *et Semuncia*).

His jam scriptis, Museo accesserunt ex dono BOONZAJERI, Viri Spect., fragmenta complura vasorum ex terra Samia, Neomagi reperta; nomina quae in fundis impressa leguntur, quaeque ex aliis ejusdem generis fragmentis, in Museo asservatis nondum innotuerant, sunt haec:

45. BASSI (*officina* vel *manu*).

46. BIGA *Fecit*.

47. BITVRIX (*fecit*).

48. *Officina* CREScentis.

49. CVPC.VLIL.

50. *Officina* F[V]*Sci*.

51. IVCVNDus (*fecit*).

52. IASSILLI. *Manu* (i. e. PASILLI. *Manu*).

53. [M]ASCVLI. *Manu*.

54. COSRVF, in quo fortasse nomen COnSulis RVF*i*, vel RVF*ini* agnoverimus, nisi obstaret quod nomen proprium muneris nomini antecedere solet. Idem siglum legitur in aliis fragmentis Neomagi repertis; cf. Smetii, Antiqq. Neomagg. pg. 164.

INSCRIPTIONES IN TABULIS NON DELINEATAE.

Inscr. 1. pgg. 168, 169.

Monumentum descripsimus et inscriptionem delineatam edidimus in Catalogo Monumentorum Asiaticorum etc. (Beredeneerde Beschrijving der Asiatische en Amerikaansche Monumenten van het Museum van Oudheden) I. C. a. *b*. 1. pgg. 75, 76.

Inscr. 2. pg. 169.

Legendum videtur LICISEPVS, vel LICISIPPVS PIVS || [V]IXIT ANnIS XV || *Hic Situs Est*. — Duplex I in 1° versu pro E est accipiendum, aut statuendum alterum I male pro P esse exaratum. Cf. l. c. *b*. 3. pg. 77.

Inscr. 3. pg. 169

Vid. inscriptionis delineationem l. c. *b*. 2. pgg. 76, 77; ubi legimus SALITTHV || LILLECIS FILIA || PIA VIX*it* AN*nos* XXI || *Hic Est Sepulta*. Nomen defunctae SALITTHA reponendum esse conjicit Gesenius, Script. Linguaeq. Phoenic. Monumm. pg. 413, et Hebraice scribendum שליתה.

INSCRIPTIO OMISSA.

In inferiori parte lapidis sepulcralis, in quo, inter duas parastatas tortiles, opere anaglyphico exhibentur vir et mulier, et ara cum igne ardente intermedia:

Diis Manibus Sacrum.

Conf. l. c. *b*. 4. pg. 77.

INDEX DEORUM IMMORTALIUM ET HOMINUM.

Pgg. 174—182.

In indice nomina quaedam omissa, quaedam alieno loco illata sunt. Posterius hoc dicendum de iis, quae contra ipsam editoris rationem, eamque ab inscriptionum editoribus plerumque receptam, secundum cognomina vel agnomina potius quam secundum ipsa gentis nomina disposita sunt. Talia sunt vb. c. haec:

Pg. 175. BLASTVS (CLAVDIVS), quae ad literam C transferenda: CLAVDIVS BLASTVS.

Pg. 176. CELER (P. CAVCILIVS), quae ponenda fuerant pg. 175 *b*, post versum 2um a fine: CAVCILIVS (P) CELER.

Ibid. CONCESSIANVS etc. quae ad literam A transferenda, hac ratione: ANTONIVS (M) FESTVS CONCESSIANVS.

Pg. 177. GALLICANVS (C. IVLIVS), transferenda ad lit. I: IVLIVS (C) GALLICANVS.

Ibid. HILARIANVS, transferendum ad lit. C: CLAVDIVS (TI) HILARIANVS.

Ibid. [I]RENAEVS SERGIUS, ad S transferenda: SERGIVS IRENAEVS.

Pg. 180. PRIMITIVS (T. FLAVIVS), ad F transferenda: FLAVIVS (T) PRIMITIVS.

Ibid. RESPECTVS (C. OPPI*us*), ad O transferenda: OPPI*us* (C.) RESPECTVS.

Ibid. SABINIANVS (CN. POLLIVS), ad P transferenda: POLLIVS (CN) SABINIANVS.

Omissa autem casu deprehendimus haec:

C.

CAECILIA *Publii Liberta* FELIX, p. 105.

CAESIVS EVTYXES, p. 99.

CVSPIVS (P) EROS, p. 105.

F.

FONTEIVS EVTYXES, p. 99.

H.

HELPIDVS, p. 99.

L.

LVCIVS LIGVR, p. 108, cf. Animadversionum nostrarum pg. 38.

N.

NAEVIA FORTVNIA, p. 98.

O.

OCTAVIA (*Lucia*) OPTATA, p. 108, cf. Animadvv. nostrr. pg. 38.

OCTAVIVS (L) EPAPHRODITVS, p. 108, cf. ibid. pg. 38.

S.

SATVRVS, p. 110.

ΣΤΡΑΤ[ΟΚΛΕΙΔΗΣ], p. 45.

V.

VOGVSIVS (L. I), p. 98.

Observandum quoque in lit. L, pg. 178, *a*, ordinem alphabeticum, qui dicitur, esse conturbatum.

Quae autem nomina, post accuratam ipsorum monumentorum inspectionem quam instituimus, in indice corrigenda restant, velnti ΔΙΟΓΕΝΗΣ, ΙΣΙΔΟΤΗ, cett., aut secundum nostram supplendi rationem, aliis substituenda, ut vb. c. [ATHA]-NASIA pro [A]MASIA, aut addenda, ut vb. c. [PARTH]ENIA, ex ipso nostro opusculo facile cognoscuntur.

Festinantis calami aut typothetarum errores denique corrigantur, praeter eos quos in Emendationibus editor ipse indicavit, sequentes:

Pg. 1, vs. 1, officiat *lege* officit
» 13, » 11, *ταράκοντα* » *ταρίκοντα*
» » » 25, *ἔτεσ-* » *ἔτεσ-*
» 14, » 23, *ἐκκόψαι* » *ἐκκόψαι*
» 19, » 14, vs. 6 » vs. 7
» 20, » 21, *Σώστρατον* » *Σωστράτου*
» 21, » 7, ΤΗΛΕΜΝΑΣΤΟΝ *lege* ΤΗΛΕΜΝΑΣΤΟΝ.
» 22, » 7, restituto—explicato *lege* restitutum explicatum
» 24, » 5, p. 43 *lege* p. 543.
» 28, » 10, incudis » incus
» 30, » 21, *νεικας* » *νείκας*
» 32, » 21, *Ἄλεξος* » *Ἄλεξος*
» 33, » 18, ultimo » ultima
» 36, » 12, bubulci » bovinum
» 41, » 12, lecto » in lecto
» 49, » 21, nos » Reuvensium
» » » 24, contineret » continerent
» 61, » 14, *μαντεω αἰτ(ον)* » *μαντεοαιτόν*
» 61, » 23, *Τυράνιδος* » *Τυρανίδος*

Pg. 63, vs. 22, p. 341 *lege* l. 341
» 65, » 17, *Ἀμμα Χρυστινα* » *Ἄμμα Χρυστίνα*
» 78, » 4, 3. » 2.
» 94, » 20, p. 13. » p. 33.
» 110, » 4, p. 41. » p. 44.
» 111, » 24, } et *Matter* » aut *Matter*
» 113, » 7, }
» 172 *a*, » 5, p. 106. » p. 160.
» 177 *b*, » 27, IRENETIS » IRENETES
» 178 *a*, » 23, [L]IBATIA » [L]IBATA
» » *b*, » 6, ΑΤΣΕΙΝ » ΑΤΣΙΣ
» 180 *a*, » 38, ΠΕΡΙΡΙΛΙΑ » ΠΕΡΙΛΙΑ
» 181 *b*, » ultimo, VLPIVS HERACLETIS (MARCus) p. 165 *lege* VLPIVS HERACLETES (MARCus) p. 163.
» 182 *a*, » 5, HILARIS *lege* HILARIVS

In Emendationum serie, delendus versus 23: 65 vs. 11 Anastasiani — Athanasiani; nam prior vox recte sese habet, lampas pertinet ad monumenta ab Anastasio collecta.

*Scripsimus **Lugduni-Batavorum**, in **Museo Antiquario**,*
Mense Octobri Anni CIↃIↃCCCXLII.

